

EDMVNDVS CAMPIANVS

Coeleſti lauro inſignis

Admõ^m Rdõ Nobili ac Doctiſſimo D. Danieli Naſtaupil SS. Theologiæ Doctori etc

oblatus

A Rhetorica Academica Pragenſi

ANNO

M.DC.LI.

M1-5-R.143

ADMODVM REVERENDO, NOBILI AC
DOCTISSIMO DOMINO

DANIELI NASTAVPIL A SCHIFFENBERG, ANTI-QVISSIMI CAPITVLI VETERO-BOLESLAVIENSIS CANONICO; METROPOLIS ANTIQVÆ VRBIS PRAGENSIS PAROCHO DIGNISSIMO, NEC NON SS. THEOLOGIÆ DOCTORI EXIMIO RECENS INAVGVRATO.

PROMOTORE

R.P. IOANNE MOLITORIS

E SOCIETATE IESV, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, EIVSDEMQVE IN VNIVERSITATE PRAGENSI PROFESSORE ORDINARIO.

Opportunè omnino Tibi, ADMODVM REVERENDE, NOBILIS AC DOCTISSIME DOMINE, Diſciplinarum omnium ſummum hodie precium colligenti, noſtro nomine gratulatum it EDMVNDVS CAMPIANVS:

qui Pragæ quondam, in Regni ac Regum Sede principe, Eloquentiam atq; Philoſophiam publicè docendo oſtendit, ſatis ſe adferre ad Te SS. Theologiæ, eximium Doctorem ſalutandum. Ipſo ergo in aditu, cujus cupidiſſimus erat; humanitatem ſtatuit, parem tantæ Tuæ humanitati celebrandæ. Philoſophiam deinde Tuam palliatus ipſe Ariſtotelico more veneratur, idq; unum Tibi gratulatur, geminis Pietatis, & Sapientiæ alis, ad illud Te literarij honoris faſtigium evectum eſſe, quò alij ægerrimè aſpirant. Magnum ſanè calcar ad apicem Sapientiæ contendentibus adhibet Gloria; ſed eo multò majus Virtus: quæ non aculeatis ſtimulis animum Tuum ſubegit: ſed ultro hoc in divinæ Sapientiæ ſtudio, velut in ſtadio, procurrentem manu deduxit ad Metam. Huc nō decet eodem habitu in honoris Theologici auguſtale,

Edmun-

Edmundum deducere. Poſito igitur tãtiſper Ariſtotelis amiculo, Theologicâ gravitate ſe induit Cãpianus, officij noſtri interpres & debitæ internuncius gratulationis; qui poſt edita divinæ Sapientiæ ſpecimina, lauro ac purpurâ inſignis; inſertis in collum Tuum brachijs dulciſſimo amplexu novum Te Doctorem, id eſt in religionis propugnãdæ, & hæreſeos vincendæ arena ſuum Te ſalutat Cõmilitonem. Neq; exiſtima minerval ab hoc uno non ſuppetere, huic Vniverſitati (à qua jam inde à prima Adoleſcentia ad præclarum Eccleſiæ, & literarum decus enutritus hodie Tuæ Virtutis atque eruditionis præmium tuliſti) exolvendum. Neq; verò etiam anceps animũ teneat ſolicitudo, quo munere tot RR. PP. in Societatis IESV emolumentum Congregatorum præſentiam compenſes. Vnus in utrumq; ſatis eſt Campianus.

nus. Recipit in eo ſuam illa gloriam, & redivivam agnoſcit imaginem Rhetoris, Philoſophi ac Theologi ſui Edmundi inter Majorum Ceras reponi. Hi verò Congregatorum olim in electionem Everardi Mercuriani PP. ſtudia reſuſcitari in eo ſibi vendicando ſuſpiciunt, atq; denuo Boëmiam palmam referre lætantur, dum abs Te datum domum ſecum conferunt Edmundum Campianum, noſtri quoq; amoris & humillimæ ſubmiſſionis argumentum..

Tuo honori

Æternùm devoti:

Rhetores Academici
Pragenſes.

ELO-




Spectaculum facti ſumus Mundo, et Angelis et homi
nibus 1 Corinth 4°
R.P. Edmundus Campianus e Societate IESV Mar
tyrio affectus Londini A° M.D.LXXX.

ELOGIVM HISTORICVM.

EDMVNDVS CAMPIANVS LITERARVM ET VIRTVTVM STVDIOSVS.

IDem, qui Societati naſcenti, & denaſcenti in hæreſin Angliæ; annus Edmundo Campiano natalis fuit. Prima vitæ ejus incunabula ſpeciem portenderunt futurorum. Puer adhuc ad amorem ſuavitatis & admirationem indolis omnes pertrahebat. Nam virtus in teneris pulcrius elucet, quam MARIA immortalitate digniſſima Regina, in eo duodecimum annum nondum egreſſo, & jam tum animi ſpecimen dicendo præbente, plauſu & favore eſt proſecuta. Ceream ejus juventam Oxonium formavit, tam felicibus auſpicijs, ut in oculis omnium cùm eſſet, in animos quoq; pari facilitate ſuccederet, atq; publicis plurimorum ſtudijs coleretur. Oratoris, ac ſubinde Procuratoris munere functus, expectationem amicorum utrinq; ſuperavit. Mortuâ Reginâ, animam quoq; egit Religio, accedente ad ſectariorum normam proniſſimâ in pejus populi inclinatione. Edmundus, cùm velut ambigens & nutans conſilia ſua in præcipiti haberet, à calidiſſimo Sene Richardo Chenæo fraude ſic innexus fuit, ut nefario ritu in Diaconum initiatus, Impietati riſum plauſúmq; cieret. Neq; multò pòſt diſſipere ipſe ſibi primùm, atq; deinde diſplicere uſq; eò cœpit, ut errorem non averſaretur modò, ſed continuis penè lacrymis elueret. Quin imò, ne diſputabundus cladem hæreticorum caſtris inferret, calentem diſcutiendæ veritatis impetum clàm habere ab Impietate juſſus eſt; quæ ſibi tanto ab ardore, & ingenio plurimùm metuebat. Conata tamen eſt Impietatis Nutrix Eliſabetha indolem & induſtriam Campiani, publico experimento ſibi probatam; ſive ad erigendam novæ Eccleſiæ ſpem, ſive ad Rempublicam fulciendam, ſpecioſà auri & honorum mercede nequidquam emere. Expedivit enim ille ſe, neq; ſuſtinuit animum pretioſis vinculis indui, quibus probè intellexit libertatem implicari & ſalutis ſpem in compedes agi. Ad virilem igitur de toto vitæ ſtatu delibera-

berationem cùm ſe applicuit, ex ſacrorum librorum lectione divinior lux derivata ſenſim ſe aperire cœpit, ad fraudes & vanitatem impiæ defectionis detegendam. Ipſe ſecum apud ſe accuſatoris, ipſe patroni partes agere, & jam oppugnare, jam quæſitis rationibus dum ſe defendere inſtitit, divexatæ tandem mentis lanienam abrupit, victóq; pudore palàm veritati manus dedit. Cautus ex periculo religionis ſecuritatem ſolicitè inquirens, à vetere amico Richardo Stanhurſtio Dublinium evocatur. Voluntarium itaq; in exilium concedens, hoc à facinore conſtantiæ & animi generoſitatem eſt auſpicatus. Hoſpitalitatis beneficium pietatis exemplo compenſavit, relictâ poſt ſe inſigni modeſtiæ juxtà, & ſanctimoniæ famâ. Hæc per tranquillum otium. Inſulæ etenim malaciam paulò pòſt ingens regni procella vehementer conturbavit. Maria Stuarta popularium armis regno excuſſa, Reginæ Eliſabethæ ſceptrum imploravit; quam acceptam initio liberaliter, brevì turpiter fefellit, & ad incitas adegit peſtilentis fœminæ ſuſpicax ingenium. Firmandæ Sceptri ſecuritati omnem lapidem ut admoveret, eum omnem dimoveri juſſit, qui impijs conatibus obſtaculo foret. Quaquaverſum ex eo die impietatis miniſtri dimiſſi ſunt, à quibus ſanæ religionis reliquiæ exſcinderentur. Nondum quidem Catholicum nomen capite luebatur, ſed in vincula & pedicas actum cogebatur, diſſimulatâ veritate, novam impudentis fœminæ magiſterio inſaniam profiteri. Exegit hic turbo Sanderos, Briſtoos, Alanos, alióſq; eruditione & vitæ integritate primùm, poſtea præclaris etiam ingenij monumentis Clariſſimos viros, quos omnes doctum Belgium ſinceræ pietatis gremio excepit, aluítq;. Eos ad extremum Edmundus diu fruſtra in vincula deſtinatus, amicorum ſuaſu ſecutus, non ſine manifeſto boni Numinis favore aſſecutus eſt. Oculatiſſimos etenim prædones, non tam mentito cultu, & diſſimulato nomine, quàm ſingulari divinæ opis miraculo eluſit. Duaci in ſuorum Civium contubernium admiſſus, vitæ ſocietatem Virtutis & ingenij famâ nobilitavit. Erat placidiſſima animi ejus tranquillitas, æquali tenore actiones attemperans, & optimo odore perfundens; niſi quòd ſtimulis quibuſdam angeretur diſſimulatæ olim religionis, & prætermiſſi officij, in Richardo Chenæo commonendo. Reus enim ſibi non ſuæ duntaxat, ſed alienæ quoq; per verecundiam & ſilentium proditæ ſalutis videbatur. Abſens ergo exequitur, quod coràm neglexerat, & diſertiſſimâ epiſtolâ eo ſe dolore levat, quem alieno è ſcelere contractum

puta-

putabat. Aliud jam non reſtabat, quàm inter ſupplicandum illuc toto animo contendere, num ſeorſim à populari ſtrepitu ad vitam divino nutu degendam animum admoveret. Ad Romanum iter ſecretiore DEI inſtinctu impulſum ſe poſt longam comprecationem ſenſit, illúdq; ad paupertatis CHRISTI normam exegit, omni ſubſidio deſtitutus. Fuit, qui in ſpontanea hac egeſtate dilaudanda per omnem deinceps vitam multus eſſet: tantum habet Virtus exemplis comprobata in præconia momentum! Inſtitit exinde precibus, & divinæ luci emerendæ omnem conatum admovit; nec multò poſt ineundæ Societatis conſilium à cœleſti ſuaſore ſuggeri cognovit; quod pari alacritate, & ſtudio, quibus divinam voluntatem exquiſierat, eſt executus. Evocaverant tum frequentem Patrum toto Orbe multitudinem Comitia novi Generalis ſortitioni indicta; è quibus non pauci Campianum haud aliter, quàm ab indole & modeſtia notum, magnopere expetierunt. Poſt ſententias alio atq; alio reſpectantes, ceſſit ille tandem non abſq; DEI nutu Auſtriæ Præpoſito; à quo per Pragam, principem Regum Sedem, ad Brunenſe Tyronum domicilium translatus, ea toto itinere prodidit virtutis argumenta, quibus apud Moderatores inſignem ſpem & expectationem, apud alios vitæ admirationem, & præconium merebatur. Sexto Idus Octobris, anno partæ ſalutis milleſimo quingēteſimo ſeptuageſimo tertio, ducente Tyronum Coloniam, quibus inſtituendis præerat, Joanne Campano, Viro ſtabiliendis Provinciæ initijs peridoneo, Brunam appulit Edmundus, ubi probationis primordia, datúmq; exercendi ſpiritûs ſpatium, tantâ curâ & ſolertiâ in frugem contulit, ut ſibi nihil perire, ſed totum in propria & aliena commoda cedere percùperet. In ea igitur naſcente tum probationis domo, non ſolùm exacto officio, ſed perdurante ad poſteros imitabili exemplo, unius anni ambitu, eam Virtutis copiam complexus eſt, quæ tam uberes dein fructus habuit, ut à primis ac teneris unguiculis, ad omnes Societatis functiones obeundas præclarè inſtructum crederes. Non enim vacua aut inania ſtudia adoleſcentiæ eſſe voluit, ſed illuc ſeſe continuò impulit, ut acerbitatem plagarum ſponte ſibi illatarum, & afflictionem corporis, cum animi cultu aſſiduè componeret. Providus nimirum Tyro ſapienter proſpiciebat, egregiam meſſis ſpem, & adultam frugum collectionem in horrea, à ferventi cultura, & prima agrorum ſubactione pendere. Propenſiſſimà animi inclinatione ad nutum ſe omnium fingebat, & actiones laboréſq;

boreſq; omnes ad obedientiæ normam exigebat; in qua legem præcipuam & notam veræ Virtutis, nec non certiſſimum adversùs Satanæ ludificationem præſidium conſtitui credebat. Neq; in his imperia, ſed nutus quoq; antevertere ſatagebat; ſatiùs eſſe dicens, impoſita onera præveniendo, quàm exequendo ſufferre. Seipſo jam, & rebus humanis major, tantò ſibi minor extitit, quantò majoribus incrementis virtus in dies accrevit; quo effectum, ut non dubitarent Moderatores, etiamnum pro forma eum cæteris ad imitandum proponere. Modeſtia, & vultûs hilaritas in ore, velut præ foribus ad aliorum exemplum emicabant. Parſimonia linguæ verba omnia, ad ſilentij & neceſſitatis trutinam, expendebat. Greſſus omnes, moderante interno Virtutis magiſterio & amore, in Numinis præſentia exigebat, ut non ambigerent alij, ubicunque munia ſua obeuntem cernerent, affirmare, cum dignè DEO ambulare. Quidquid innuerent ij, quibus imperij jus erat, eâ facilitate expediebat, ut nunquam tardum aut cunctantem, nedum reſtitantem ad obſequia reperirent. In Superiorum voluntate ſtabat, & in eadem acquieſcebat nō ſecus ac in centro ſuo cætera omnia: neq; ullâ violentiâ avelli ſe, aut latum unguem dimoveri patiebatur. Filij animum erga DEIparam Virginem induerat, atq; viciſſim eandem Matrem expertus, mutuo amore amori reſpondebat. Hic pietatis ſenſus ſe non continebat, quin in ſermonem diffuſus, magnam ſuavitatis ſuæ partem audientibus aſpergeret. Conſtanti rumore, Majorum ex traditione progenito creditur, eundem aſpectabili Divæ Virginis vultu, & præſentiâ recreatum, atq; ex eo jam tempore ad virtutis & religionis conſtantiam ipſo ſanguine obſignandam, multò antè animatum fuiſſe. Illud certè obſervârunt omnes, ſibi in ardore & deſiderio propagandi honoris Mariani ſemper conſtitiſſe Campianum, & quà verbo, quà exemplo gloriam partheniam quàm latiſſimè extendiſſe. Neq; tamen in his laudatiſſimæ vitæ exordijs, & virtutum incrementis ullam in voluntatis duritiem, aut obſtinatam animi pertinaciam obrigeſcebat, (quod vitium affine Virtuti eſſe ſolet, & familiare Sanctimoniæ raræ Affectatoribus, ut credant, uti à ſententia, ita à cœpto tramite illicò diſcedi, ſi ſe quandoq; ad popularem normam componant) quin potiùs omnis ſingularitatis odio, & ſolidæ ac veræ ſanctitatis amore tritam, Majorúmq; exemplis notiſſimam viam inibat ſemper, non abſq; luculento bene fundatæ humilitatis exemplo.

EDMVN-

EDMVNDVS CAMPIANVS POETA ET RHETOR EXIMIVS.

NOndum egreſſus præfixi temporis ſpacium, quo Virtus varijs experimentis probari aſſolet, in Pragenſe domicilium Majorum imperio ſe contulit Edmundus, utramq; ad Eloquentiam copioſo & illuſtri auditorio tradendam; cujus tantâ vi ac facultate pollebat, ut ingenij famam, docendi, dicendiq; felicitate, & peritiâ exæquaret. Quæ in alijs laudantur ſparſim ſingula, eadem in hoc penè omnia confluxerant, mirabili naturæ, & ſtudiorum conſenſione. Carmina fundebat potiùs, quàm pangebat, inuſitatâ quadam facilitate. Inſignem inter cætera monumenta numeris poeticis adſtricta, plauſum theatri, & gratam admurmurationem populi meruit Ambroſiana Tragœdia, in qua gravitatem ſententiarum, cum ſtyli granditate ita attemperavit, ut, cùm neq; inſolentiùs intumeſceret, neq; argutiùs in animos inveheretur, feriret tamen, & percelleret omnes, excitato vel lacrymarum, vel inſigni pietatis ſenſu apud Orthodoxos; Sectarijs quoq; in admirationem pariter, & noſtri nominis amorem euntibus. Omni in Poeſeos regione ſic unus tum excellebat Pragæ, ut æquales quàm pauciſſimos haberet; ſuperiorem neminem. Nulli generi ſic addictus fuit, ut cætera negligeret, à ſingulis palmarem plauſum meritus, ob inſignem metri ſuavitatem. Propitium ſanè Apollinis ſidus ei illuxiſſe primo in vitæ exortu dixeris, quando apud poſteros in ancipiti reliquit; naturalémne poëſim habuerit, an pro natura? In lyrico doctus; in heroïco numeróſus, ac grandis; in Elegia ſuauis; in tragico gravis & acutus; in omnibus Veterum quàm ſimillimus eſſe contendebat. Et tamen interea ſic vitæ rationes attendebat, ut ex veterum lege ac lectione Poetarum ad numeros orationem adſtringens, neq; ultro ſuſcepti rigoris habenas laxaret, neq; ad conſuetam levitatem, & jocorum indolem in confinio poeſeos hærentem deflecteret, aut imprudens diſſolveretur: quin potiùs ſuo exemplo poſteris prodidit, hoc quoq; in ſtudio certiſſimum ad eruditam ſapientiam præſidium ineſſe, ſi cauto, caſtóq; animo tracte-

tractetur; fœdis illis, cœnoſiſq; chartis in tenebras, aut claram Mulciberi lucem remiſſis. Solutæ jam linguæ diſertam libertatem, & orationis ejus copiam dum poſteritati verbis commendare aggredior, erigit ſe, & pro me loquitur Lycæum iſtud, quod quo ſpiritu eloquentiæ olim ab eodem animatum fuit, dum Roſtra Pragenſia quodam quaſi dominatu, & Suadæ Magiſterio compleret; eodem nunc fertur in demortui laudes, & famam ejus communi fato ereptam, conſecrat immortalitati. Quid enim (inquit) aut ad fundandam facundiam, aut ad eam in poſteros propagandam optari potuit, aut excogitari Edmundo nobilius, firmiúſq; ? Fuerat is eâ dicendi divinitate, quæ docendi facilitatem exemplo, ac vivo quodam archetypo roboraret, & mirâ quadam ſuavitate in aures animóſq; audientium infunderetur. Copiosè nimirum loquentis Sapientiæ totam facultatem uno animo complexus, memoriæ prodidit, quantum in ea & ad famam excitandam, & ad Religionem diffuſius explicandam præſidium ineſſet, cuius partes ſingulæ ſummo honori ſunt, & ornamento. Neq; eidem ſatis fuit, præceptis propalàm traditis, politioris literaturæ ſemina Juvenum animis inſpergere; ſed voluit quoq;,& impensè ſtuduit, obſoleſcentem Marci Tullij memoriam ſummum in precium adducere; cujus (ut par eſt) rebus honorem, induſtriæ gloriam, & divinæ dicendi facultati, æſtimationem omnium, amoremq; conciliavit. Illud ſanè Quintiliani pronunciatum animo non altè hærebat tantum, ſed authoritate ejuſdem & erumpente publicam in lucem opinione comprobabatur: neminem ſcilicet hac in dicendi arte ſapere, niſi cui Cicero, divinus in dicendo Vir, ſapuiſſet. Huc ergo ſolertem calami lucubrationem contulit, ut Tullij exprimendi ardorem palàm explicaret ipſe, & inventionem, diſpoſitionemq; laxando, phraſin tamen, ac ſtylum unius ad exemplum, & conformationem revocandam eſſe oſtenderet. Neq; id temere tamen, aut inconſultò. Supellex etenim rerum ſibi conſtat ſemper, ac ſui ſimilis eſt, quacunq; dictione veſtiatur: at voces, (inquiebat) ſi promiſcuè ſumantur, formam ſermonis inæquabilem, & incertam reddunt. Quod ergo pronum eſt, & expoſitum errori, certis potiſſimùm limitibus erat coercendum. Vagas illas, & ſpatioſo in Eloquentiæ campo oberrantes mentes, hoc ipſo nullibi eſſe affirmabat, quod ubiq; eſſent, atq; ſuæ nuditati obtegendæ pannum undecunq; emendicarent. Cicero, Cicero unus Edmundi ſententiâ aſſiduè inſpiciendus eſt; cùm ſic ille ſit

gran-

grandis,ut non turgeat; ſic humilis, ut non vileſcat; ſic medius, ut nullas unquam ineptias accerſat. Neq; infeliciore ſucceſſu, quàm conatu & labore Oratorum Principis Eloquentiam commendabat Campianus. Paucis in monumentis ejus,velut ex ungue Leonem notaveris; in quibus plus tribuas virtuti,an facultati? meritò dubites. Martyrũ gemmã, Ducũ ocellũ, Boemiæ tutelarem Wenceslaũ, poſt autumnales ferias,literis auſpicãdis ut propitiaret,tantâ dictionis elegantiâ,tantâq; animi cõtentione deprædicavit, ut quantum Divo Cœliti amorem, tantum ingenio ſuo decus comparaverit. De illa verò ſuâ operâ perfecta, & aliena pronunciatione ad Sodales prolata oratione, quid dicam, in qua tutelam & præſidium Virginis in Mortales, elegantiâ Tullianâ exornatam, audientium æſtimationi ſic propoſuit, ut quamvis complures à cultu Deiparæ alieniſſimi eam audirent, omnes tamen Oratori annuerent, & conceptam in ſententiam proniſſimis animis concederent? Neque mirum eſt, ab Eloquentia ſuam veritati lucem, locúmq; tribui, à qua velut placidiſſima animorum tyrannide, falſa quoq;, & à claritate alieniſſima, lucida ſubinde, ac credibilia redduntur. Sed hæc tantò æſtimabilior in Campiano fuit Eloquentiæ laus, quòd cum integritate conjuncta ſemper, veritatem pro meta, virtutem pro Magiſtra, ac Duce haberet, neq; tam fuco, & illicio verborum, quàm rerum ponderi, & Mortalium moribus in melius vertendis ſtuderet. His perennaturæ famæ monumentis, inter complura alia luci publicæ erepta, adjungi meritò debet funebris laudatio, quâ in nobiliſſima Procerum corona Mariæ Requeſenæ, Mariæ Auguſtæ cubiculo Præfectæ mortem, copiosè juxtà,ac eleganter eſt proſecutus.Tanto omnium ordinum plauſu,& approbatione excepta fuit oratio, ut enixè eam flagitantibus non potuerit diutius deberi. Typis ergo mandata non minùs avidè lecta, quàm cupide expetita fuit. Neq; oculorum, & animi ponderatio inter legendum (ut fit) æſtimationis precium detraxit. Nam ſolent interdum, quæ cum plauſu, & grato murmure audita fuerunt, lecta elangueſcere, & proditâ oculis tenuitate, vehementer diſplicere. Secùs fieri videbitur geminam epiſtolam lectitanti; quas velut diſertæ virtutis compendium Tyronibus Brunenſibus tranſmiſſum huc annectimus, ne pereant, aut uno ſcrinio concluſæ fructum invideant poſteritati.

Chariſſimi in Chriſto Fratres. Etſi hominum mores multò minùs apud vos ponderis & momenti habere debent, quàm ille Spiritus,qui abſq; verborum ſtrepitu in auribus veſtris loquitur: tamen ne hoc quidem charitatis genus inutile, aut ſupervaca-

neum

neum eſt; Erit pietatis veſtræ fraternam hanc epiſtolam teſtem amoris, & officij mei, benignè (quod ſoletis) accipere. Non enim quaſi vobis incitamenta deeſſent, qui, quocunq; pergitis, vehementes aculeos virtutum omnium circumfertis; ſed ut mihi potiùs ex hac uſura temporis, qua vos alloquor, quædam calcaria ſubminiſtrem, utq; veſtri memoriâ, ſuavitateq; perfundar, & meam in vos teſtificer voluntatem, has literas exaravi. Atq; utinam, quod ego dico, & vos facitis, illud vos mihi diceretis, & ego facerem. Scio enim quanta ſit libertas in obedientia, quanta jucunditas in labore, quantæ in oratione deliciæ, quantū in humilitate regnum, quanta in conflictione pax, quanta nobilitas in patientia, quanta in infirmitate perfectio. Sed has virtutes in uſum, & actionē reducere, hoc opus eſt, & hoc veſtrū eſt, qui glorioſis curriculis Paradiſi quædā ſpatia cōficitis in terris; ego, ut ille dixit, quà potero ſequar, non paſſibus æquis. Omninò igitur (Chariſſimi Fratres) vita nobis nō ſufficit, qua Chriſto gratias agamus, qui tanta nobis myſteria patefecit. Quis Noſtrū credidiſſet, niſi ab illo vocatus in hanc Scholā, & inſtitutus fuiſſet, tot ſpinas, tot fæces, tot miſerias, tot tragœdias in hoc mundo ſub falſis nominibus honorum ac voluptatis deliteſcere? Quis putâſſet culinam veſtram palatio regali antecellere, pulmenta veſtra convivijs omnibus, moleſtias veſtras aliorum dulcedini, pugnas veſtras illorum ſecuritati, reliquias veſtras illorum abundantiæ, vilitatem veſtram illorum triumphis, atq; victorijs? Etenim, rogo vos, quid ſi (quod iſti tantopere cupiunt) omni vita ſpectaculis, & varietate locorum, ac hominum paſceretis oculos, num oculi veſtri pingueſcerent? ſi aures rumoribus, eſſentne pleniores? ſi mentem cupiditatibus, eſſetne ditior? ſi carnem dapibus, num fieret immortalis? Hæ tenebræ eorum, qui addicti vanitatibus neſciunt quid ſit beatè vivere. Putant enim cùm ſpectant, & exſpectant grandia, ſe multùm profeciſſe, neq; tamen centeſimus quiſq; quod ſomniavit aſſequitur. Et ſi fortè quis aſſequitur, tamen poſtquam ſubduxit rationes, & curarum ſarcinam, eventus lubricos, fœdiſſimam ſervitutem, timores, inſidias, cruces, faſtidia, rixas, nequitias numeravit, quæ unà ſemper habitant, ſemperq; divexant amatores mundi, ſine dubio inveniet ſemetipſum tui piſſimum, atq; egentiſſimum eſſe mancipium. Itaq; unum veſtrum ſuſpirium, quo cœlum anhelatis, præſtat illorum perpetuis clamoribus, quibus hæc lutulenta comparant: una veſtra colloquutio, cui interſunt Angeli, ſuperat iſtorum congreſſiones, & impura ſympoſia, in quibus pocula propinant Dæmones. Vna veſtra diecula, quam Deo conſecratis, dignior eſt illorum ætate univerſa, quam profundunt in luxu. O fratres, currite, quò cœpiſtis, & divinam erga vos bonitatem, veſtræq; conditionis dignitatem recognoſcite. Eſtne ulla Principum aut Imperatorum purpura, ulla majeſtas, ulla jucunditas, quæ veſtrum decus, atq; ſolatium non dicam exæquare, ſed adumbrare poſſit? Illi, de bonis loquor, cum ſuis impedimentis ſub Christo Duce militant; Vos omnibus liberati cum dilectis diſcipulis in conſortium Domini familiare vocamini. Illi in Regiam admittuntur; vos in cubiculum. Illi ad opportuna pabula; vos ad cellaria refertiſſima. Illi ad amicitiam; vos ad oſculum. Illi ad Gazam pretioſam; vos ad theſauros intimos. Cogitate, quantis difficultatibus etiam illi, qui laudabiliter vivunt in hoc depravato ſæculo, premuntur, & tum faciliùs ſtatuetis, quantum Divinæ Miſericordiæ debeatis, quæ vos in Societatem ſuam ex infinitis periculis vindicavit. Quàm ægrè ſequuntur Christum properantem, hoſteſq; debellantem, ij, quibus in ſinu ſedent fœminæ; in humeris liberi; in dorſo prædia; in capite ſolicitudines? quorum pedes catenulis illigantur, ſpiritus propemodum

ſuffo-

ſuffocatur? Eſtne inſignis veſtra felicitas, quos Rex adjunxit ad latus ſuum, quos texit paludamento ſuo, quos veſtibus induit, & honeſtavit ſuis? Quid magni eſt, ſi meos amiculos pro illo deſerui, cùm ille pedes Judæ Proditoris laverit? quid mirum, ſi meis Patribus obtempero, cùm ille Pilato morem geſſerit? quid grande, ſi pro ipſius honore quippiam portavero, cùm ille pro mea ſalute crucem bajulârit? Quid indigni, ſi peccator reprehenſiones fero, cùm ille innocens, maledicta, ſputa, flagella, vulnera, mortem ſit perpeſſus? Itaq; quoties in hoc ſpeculum intuemur (fratres) toties manifeſtè deprehendimus, nihil eſſe oportere, neq; tam dulce, cujus illecebris, neq; tam aſperum, cujus horrore, ab hujus Domini complexibus divellamur. Proceſſit mihi, ut videtis, hæc pagella homini ſatis occupato. Quocirca maturum arbitror, ut me reprimam, & vos remittam ad illum Doctorem, qui ſuâ infuſione ſacratiſſimâ hæc multò fortiùs in animis veſtris inſonat. Illum audite, quoniam verba vitæ æternæ habet. Ego, cùm meâ ſponte libenter, tum ex mandato R. P. Pauli Rectoris noſtri, qui Brunenſem Domum peculiari quodam amore proſequitur, eripui libentiſſimè tempus hoc è negotijs meis, ut vobiſcum verba facerem. Sed & Collegium Pragenſe, quod vos unicè diligit, eodem hoc ſcripto ſuam in vos benevolentiam indicari, & plurimam ſingulis vobis adſcribi ſalutem voluit. Ad me quod attinet, non ſolùm vos, ſed etiam veſtigia veſtra ſanctorum pedum, quæ impreſſiſtis, exoſculor. Quæſóq; à vobis, ut eleemoſynam aliquam, mihi miſello & inopi ex veſtris fragmentis largiamini. Reverendum Patrem Rectorem officioſiſſimè ſaluto, reliquóſq; Patres, & fratres qui vobiſcum degunt. Seorſum prætereà Reverendo Patri Aquenſi, & M. Franciſco magnam habeo gratiam, & me totum offero, qui me aliquoties in ſuis literis humaniſſimè ſalutârunt. Valete. Pragæ 10. Calend. Martij 1577. Ex Mandato R. Patris Rectoris, & Collegij Prag. Veſter in Chriſto ſervulus.

Edmundus Campianus.

IDEM IISDEM.

QVàntùm vos diligam in viſceribus JESV CHRISTI, Fratres Chariſſimi, poteſtis colligere: quòd ſcilicet per occupationes meas quotidianas, & propter quas vix reſpirare poſſum, tamen ad vos ut ſcriberem, tempus mihi ſuffurandum, & à medijs functionibus, curíſq; meis eripiendum putavi. Quid enim facerem aliud, quàm primùm audio nuntium aliquem certum Brunam petere? Quomodo poſſem non inflammari memoriâ Domûs illius, in qua tam ignitæ ſunt animæ, ignis in animo, ignis in opere, ignis in ſermone, ignis, quem venit DEVS mittere in terram, ut ſemper ardeat? O dulces parietes, qui me aliquando vobiſcum tenuerunt! amabile hypocauſtum, in quo tam ſancta miſcentur colloquia! ſpecioſa culina, in qua de ollis Chriſti certant, Joannes & Carolus, duo Stephani, Sallitius & Finnit, & Georgius, Tobias, & Caſparus in ſancta Humilitate, & Charitate non fictâ! Quoties mihi repræſento illum oneratum de prædio, iſtum de foro, hunc de quiſquilijs, alium ſub alio labore fortiter & alacriter ſudantem! Credite mihi, Fratres Chariſſimi, pulveres, ſcopas, & palas, ac onera veſtra aſpiciunt Angeli gaudentes; iiſq; plus vobis impetrant apud DEVM, quàm ſi viderent in manibus veſtris ſceptra, gemmas, & aurum in faſciculis. Vtinam hoc neſcirem, quod dico, ſed tamen quoniam ſcio, dicam. In opibus, honoribus, delicijs, pompa ſæculi, omnia plena ſunt ſpinarum, & ſordium:

paupertas Christi minus habet externæ difficultatis, & faſtidij, quàm palatium Cæſaris. Jam verò de interiori pabulo ſi loquamur, quis dubitat, quia una hora conſuetudinis tam familiaris Deo, boniſq; ſpiritibus, omnes Regum annos & Principum antecellat? Ego autem circiter annum in Religione fui, triginta quinq; in ſæculo; quàm felix eſſet commutatio, ſi poſſem dicere, unum annum in ſæculo fui, in Religione 35! Si nullum unquam Patrem præter Patres Societatis noviſſem, nullos fratres præter vos, & fratres meos; nullum negotium præter negotium obedientiæ; nullam ſcientiam præter Jesvm crucifixum! Vtinā ſaltem veſtrā felicitatem attigiſſem, qui bene manè intrâſtis in vineam Christi! Et vobis propemodum invideo Cantenſi & Carolo, qui tam maturè conducti ſunt, ut ſuam pueritiam cum puero Christo conſumant, cum illo pariter adoleſcant, & creſcant demum in perfectum robur plenitudinis, quæ eſt in Christo Jesv. Quare gaudete Fratres mei tantis bonis & magnitudine beneficij, quo vos Devs honeſtavit, ut illius recordatio ſemper in promptu ſit, quâ Diabolo, quâ mundo, quâ carni, quâ difficultatibus & procellis omnium tentationum reſiſtatur. Dicamus & ſentiamus ex animo, niſi valdè ſtupidi, & inſipidi ſimus: non eſt magnum quòd ſervio Deo, ſed revera magnum eſt, quòd me ſervum Devs habere voluit. Ego omnibus vobis de ſingulari Charitate veſtra, quam & præſens & abſens per literas, & ſalutationes veſtras, & diſcedens à vobis in itineris procinctu expertus ſum, gratias maximas ago, nominatim Melchiori, & ſi quis eſt alius, quē antea nō nominavi, Chariſſimo Fratri æmulo meo, & compari dierū Societatis, ſed meritis longè ſuperiori; gratiſſimæ mihi fuerunt ipſius & literæ, & res, quas binis jam literis egit. Scribam cum R. P. Rectore rationem aliquam, ut ordine totius rei conſtituto, perſcribam ad illum de omnibus diligenter ante Feſtum Annunciationis B. Virginis, ut ſpero. Stephanus Vngarus recepit ſe ſcripturum, & ſemper tacuit. Georgio & Carolo gratulor ex toto pectore, qui nuper vota emiſerunt. Fortia ſunt vincula, Fratres mei, quibus vos fortiſſimè Domino concatenâſtis: quis eripiet vos de manu illius? num funiculum iſtum triplicem perrumpet Diabolus tam ignobilis, & infirmus, ut ne porcos quidem ſine facultate præcipitare potuiſſet? Et quis eſt iſte, qui imaginem Dei vivi præcipitare poſſet? non poterit facere, niſi nos ipſi obliteremus imaginem, & cum illo in perniciem noſtram conſpiremus. Hactenus licuit mihi vobiſcum colloqui; numquid pulſatum eſt ad ſcholas primâ vice? avocor neceſſariò, & cras eſt feſtum, in quo pleniùs occupatus ero. Itaq; non exiſtimo me tempus habiturum plura ſcribendi, ſcribam autem proximâ commoditate; & Fratri Chariſſimo Cantenſi, cujus me literæ plurimùm delectârunt, & gratias ago Deo meo, qui inſpiravit illi ætati tam bonam mentem. Accepi ab illo imagines, agnos Dei, & reliquias S. P. N. Ignatij, magnum theſaurum, pro quibus habeo illi magnam gratiam. Saluto omnes vos ex animo meo intimè in Christo Jesv. Poſtremum erit, ut R. P. Rectorem, & P. Aquenſem humiliter exoretis, ut condonent mihi hoc tam longū ſilentium, cujus potiùs culpæ aſcribant, quàm oblivioni ſuorum in me meritorum. Omnium veſtrûm precibus me commendo. Valete. Pragæ 26. Februarij 1575.

Edmundus Campianus.

Vtramq; exedram jure quodam ſuo complexus, domi ad erudiendum, foris ad inflammandum geminâ Rhetoricâ, ſacrâ ac profanâ utebatur,

tur, utrinq; parem expectationi fructum adeptus : ut ejus de diſceſſu rumorem Pragæ increbreſcentem ægris animis noſtri & externi acciperent, dolerentq; tantam ſibi humanitatem, tantam ſuavitatem, & ſanctimoniam tam ſubitò eripi. Erat etenim jam in eo non ſolùm latinitatis, ſed virtutis etiam quidam quaſi dominatus ; ut non didiciſſe, ſed velut legitimus hæres hauſiſſe utramq; à natura videretur. Teſtes mihi hujus rei compellandi eſſent Diſcipuli ejuſdem quàm plurimi, niſi duo, ad illuſtrem famam ab eo inſtructi, ſufficerent ad tam copiosè loquentis ſapientiæ, & ſanctimoniæ documentum; Joannes Lobkowicius, & Robertus Turnerus. Ille generis illuſtriſſimam famam, ſapientiæ & virtutis gloriâ auctam, Supremo, in Regno Boëmiæ, pro Rege Magiſtratu (Burggraviatū appellant) ſumma cum laude geſto locupletavit, & ad complura vitæ decora illud quoq; appoſuit, quod hauſtum è Campiani diſciplina Religionis conſervandæ amorem, authoritate, & inſigni exemplo accenderet ; ut eo vivo turbarum, ac novitatum amans hæreſis, defectionis ſemina palàm inſpergere nunquam auderet. Hic, velut gemma, Ingolſtadianæ Vniverſitati inſertus, dicendi copiâ & Eloquentiæ vi in calamum, & animos omnium influente, non minùs affectibus dominatus eſt, quàm famæ : cujus tranſmiſſis ad poſteros monumentis, eò etiam illuſtrius, digniúſq; præconium fuit, quòd officij, & gratitudinis memoriam in ſui Magiſtri lucubrationibus publicæ luci dandis, divinæ facundiæ ſociârit. Ipſi iſti hujus domicilij parietes, quos ſæpe vocis quadam majeſtate, & divinâ Eloquentiæ facultate complevit, laudes ejus copiosè nunc explicarent, niſi earundem amplitudine multò forent anguſtiores. Geſtiunt tamen hi, & maximopere lætantur, ampliſſimam Edmundi memoriam apud Poſteros in precio haberi, & ſive æri inſculptum, ſive vivis coloribus in famæ tabulis expreſſum ubiq; legi Campiani nomen; cui id unum fœnoris loco impertiuntur, optant & precantur, ut, quemadmodum eſt, ita vertente in melius Romanâ Rotâ, in Divorum Cœlitum Albo palàm brevi recenſeatur.

EDMVN-

EDMVNDVS CAMPIANVS PHILOSOPHVS EXCELLENS.

HEbetes quorundam animos hæc tenet opinio : putant Philoſophiam frugis omnis inanem eſſe ; eandemq; velut certiſſimam temporis & ingeniorum jacturam execrantur. Logicâ vixdum inſpectâ gradum promovent, & ad Juris & Æqui ſubſellia per Philoſophiæ rudimenta Herculeis penè paſſibus progrediuntur. Oderunt nimirum & aſpernantur id omne, quod ob ingenij ſui anguſtias nequeunt complecti. Sed quis huic animi ægrimoniæ ſuccenſeret potiùs, quàm condoleſceret, niſi modeſtiæ limites egreſſa, in inſaniam proniſſimis habenis ageretur. Inter ſympoſia, in eruditorum Virorum conſeſſu, indigna ſæpe ingenio ſuo jactitant adversùs Philoſophos convitia : quo faciliùs intelligitur, quanta mihi injurias has depellendi neceſſitas impoſita ſit, antequam ad Philoſophum noſtrum meritiſſimis laudibus exornandum accedam. Non enim laus integra eſt, & ad poſteros plena commendatio, quæ labe generis aſperſa, in hæredes maculam aliquam transfundit. Solâ ergo illi Dialectice ad audendum probè inſtructi, ſatiùs eſſe arbitrantur, in primo ætatis vigore, & viridi adoleſcentia, animos ad altiora Juris & Medicinæ ſtudia transferre, ne tempus inanibus curis obteratur; maximè verò, cùm otioſæ ſint, & (ut illi opinantur) vanæ de lana caprina Philoſophorum contentiones ; nihilq; contineant, ad excelſa illa æqui & boni communis præſidia, emolumenti. Sed ſuis hic error in tenebris extinguitur, ad claram Veritatis lucem collatus. Philoſophia etenim Pyropus eſt aureo anulo illigatus ; cui Virtus ſuâ manu inſculpſit nativæ dignitatis encomium : LVCET & ILLVSTRAT. Sibi illa ſatis pulcra, alieno fuco & face non eget ; quæ in Clientum ſuorum pectora lucis plurimum derivat, & continuâ humanæ Sapientiæ communicatione eorundem animos locupletat, prodiga ſuorum decorum adminiſtra. Eſt enim ea, eſt, non minùs ad contemplandum quàm operandum ingenij & vitæ regula ; cos animi ; dos mentis ; lux veritatis. Eſt rationis lumen ; voluntatis moderamen ; laborum & actionum humanarum magiſtra : ſine qua hebeſcit animus ; caligat & vacillat ratio ; omnéſq; munerum noſtrorum progreſſus velut in ancipiti fluctu-

ſluctuant, & tanquam inter Cimmerias noctes ambigui oberrant. Laterent ſua in obſcuritate rerum omnium cauſæ, neq; ſe explicarent, tametſi oculis omnium expoſitæ, niſi Philoſophiæ labore ac ſtudio, non minori fructu, quàm voluptate mortalium, evolverentur. Eapropter omnis eam ætas, omníſq; natio ſemper excoluit, atq; vegetam adoleſcentiam in aſſidua rerum humanarum contemplatione continuè occupavit; quod crederet, hoc è Diſciplinæ genere ad clavum idoneos educi, &, Divino Platone ſuaſore, tum demum cum rebus humanis belliſſimè agi, ſi vel Philoſophi regerent, vel Reges philoſopharentur. Non igitur illi ſolùm populi, quibus à Natura & Cœli genio ad humanitatem plus tributum eſt, ſed gentes etiam barbaræ, atq; ab humanitate prorſus alienæ, Philoſophiæ precium in precio & votis habuerunt. Suſpiciunt & venerantur meritò eam hodie indocti; quærunt & modis omnibus ſequuntur Sapientes; laudant ac tuentur Principes; addiſcunt Proceres & Dynaſtæ, & jure lætantur hac ex arena palmam quondam ſe, & primam laurum tuliſſe. Excolit nunc eam, & ſupremum penè in apicem evehit ſolers & ingenioſa Doctiſſimorum Virorum induſtria, & aſſidua elucubratio, ejuſdem amore ac ſtudio minimè implicanda, niſi, quantum in ea eſt ad laborem perurgendum nativæ oblectationis & gratiæ; tantundem utilitatis publicæ & emolumenti ineſſe perviderer. Cohibeant itaq; ſe, neq; publicæ utilitatis curâ, & præcoci ſolicitudine contendant, dicántq; errones ejuſmodi; opiniones Philoſophorum vanas eſſe, eaſdémq; perpetuis contradictionibus agitari, citra ullam veri certiq; rationem aut victoriam: hic tot rationis entia enaſci, tot ſpargi Chimæras, quas nullis armis, nulliſq; facibus expugnes: hic Juventutis ſtudia in cippos & equuleos agi, torqueri, ſententiarum aculeis compungi; argumentis, velut forcipibus in utramq; partem diſtrahi; & per continua diſputationum tormenta crudelem in modum diſcruciari: cùm certum ſit, atq; hoc in Boëmiæ Regno clariſſimis experimentis comprobatum, illuſtriſſimas, etiam Magnatum mentes Philoſophiæ uſu ac præſidio inſtructas, ad omnem deinceps ingenij cultum, & patriæ regendæ munus, omni abſq; vi ac violentia, promptas atq; expeditas extitiſſe. Sed non animadvertunt ſuis ſe in veſtigijs notari; dum, quam impensè criminantur, vix à limine ſalutatam Philoſophiam, oſtendunt ob hebeſcentem animi ægrimoniam aſſequi non potuiſſe. Eos ego non moror, qui à genere & facultatibus providè inſtructi, Majorum voluntate & conſi-

 lio

ſio in exteras gentes, vel animi, vel experiundi alieni cœli gratiâ quàm mox contendunt. Vt enim ſapientiam in minimis reponunt, neque ullis extrahendæ vitæ curis diſtinentur; ita procul habito omni ſtudiorum æſtu & ardore, ad rem domeſticam procurandam cogitationem omnem quantocyus convertunt, Generis, & Natalium ſplendori, necnon patriæ commodis impoſterum proferendis minimè intenti. At at, quæ alios urgeat acceleratio, & literarum perſunctoriè tractandarum libido, non intelligo, quod complures poſt prima ſcientiarum ſpacia præpropero curſu emenſa, ſæpe in portu hæreant otioſi, ac circumſpectantes, num ad clavum & Reipublicæ gubernacula evocentur: quibus tametſi parum ad munia cum laude obeunda domi deeſſe videatur; ipſe tamen moram injicit juventutis calor, & præfervida adoleſcentia periculis peræquè ac erroribus obnoxia. Quanto igitur laudabilius erat ætatem in rerum humanarum & Philoſophiæ tractatione conſumere, quàm inerti & otiosâ expectatione in Syrtes & ſcopulos impelli, præclaro juventutis exitio, & nonnullo etiam famæ detrimento. Reliqua, ab Icaro, Luciani Menippo in hanc diſciplinam opprobria ſunt eorum, qui cum illo Philoſophiam nuncupant nugarum, & inanium rerum commentum, architectam novitatum, Magiſtram tumultûs & rixarum, Matrem otii, & vaniſſimam diſſenſionum nutricem: quiq; parem cum eodem fructum referunt è doctiſſimis Lyceis, ut multò, quàm venerint, indoctiores domum revertantur. Suis nimirum ſe confutant machinis, ſuiſq; rationibus ſe oppugnant tenebriones ejuſmodi, nihil ibi lucis ineſſe rati, ubi ipſi Tireſiâ magis cæcutiunt. Faceſſant omnino illi ad Æſopi vulpeculam, quibus hoc in Philoſophiæ fructu nihil dulcedinis, nonnihil etiam acerbitatis ineſt, cùm eundem nequeant ob innatam animi hebetudinem aut diſcendo aſſequi, aut ratiocinando complecti. Jam vero animadverto nimis me diu in luce meridiana illuſtranda verſatum fuiſſe, hoc eſt, in illuminanda ea facultate, quæ ut effulgeat, alienæ lucis non eget, neq; alieni fulcri, ut firma conſiſtat. Quamquam id minimè illibenter: cùm hoc totum laudibus accedat Edmundi; cujus quanta in addiſcenda Philoſophia fuit induſtria, tanta gloria fuit in eadem ad poſteros propaganda, &, contra maledicam ſciolorum rabiem & Theonis dentem tuenda, victoria. Solidum ſapientiæ nomen conſectatus, quantò animo promptior, tantò indeſide conatu ſolertior, veræ ſcientiæ famam labore mercabatur, eandemq; ingenio non minùs, quàm ſtudio adauge-

dau gebat. Diſcendi æquè, ac docendi ſtudioſus, officiorum multitudine omne conceſſum tempus exigebat, ut, Philoſophiæ tradendæ alterum jam annum domi cùm incumberet, formandis interim Juvenum animis in Collegio Nobilium, qui noſtrâ inſtitutione vivunt, impigre deſudaret, morum inſuper, & Sodalitij, quod ſub tutela ſalutatæ Virginis eſt, Præfectus. Neq; dum Dialecticæ docendæ vacaret, ſalutaris ſermonis negligens; neq; cum Phyſicam prælegeret, bene agendi immemor, ſcientiæ laudem ab operando diſſociavit; ſed utramq; uno animo complexus, uno eodemq; tenore & ſpiritu eſt proſecutus. Poſt hebdomadariam Scholæ locatam induſtriam, horis quaſi ſubſecivis in exedram tranſibat, ubi concionantem, præter cæteros Regni Proceres, & Principum Legatos, Pontificius eum Nuncius, Catholiciq; Regis Orator, nõ minùs, quàm docentem, ſolertiſſimi auditores ad unum omnes, & domeſticis muneribus intentũ, vigilãtes domi Præpoſiti mirabantur. Philoſophiã quã moralem à morũ concinnitate nuncupamus, probè calluit. Ethices, & Politicæ Chriſtianæ, quin & (quod à Philoſopho vero Cicero efflagitabat) virtutis omnis peritiſſimus Magiſter. Animum ſuum adinſtar domûs, variâ virtutum familiâ inſtruxerat, unius ſub nutu, & cuncta moderantis imperio, Obedientiæ, quæ rationem in freno, & quaſi pediſſequam, ad omne literulæ, aut vocis leviſſimæ indicium habebat obſequentem. Sed non minùs ſacratiſſimum ejus pectus plenum, quàm capax virtutum fuit, omnes juſtiſſimo ordine & fœdere complexum. Iram ſubegerat; metum in freno, cupiditatem in vinculis, omnémq; naturæ inclinationem in poteſtate habebat; egeſtatem verò in delicijs; tormenta & cruciatus in votis; in actionibus omnibus jucundiſſimum vitæ moderamen. Non libet cuncta proſequi, ſed notas duntaxat, & indicia quædã præbere, ex quibus cætera probatiſſimæ Ethices argumenta facilè deducas. Suo ergo non in ſolio deſidiosè aſſidentem, ſed ex Majorum lege & imperio, domi cuncta munia impigre obeuntem Reginam Obedientiam video, quàm oculis in cœlum intentam, tam manibus & pedibus in obſequia expeditam; cui non immerito Pegaſum appinxeris ſuâ virtute & elogio inſignem: Stat, cvrrit, volat. Nam explicari vix poteſt parendi promptitudo, quâ non imperia tantùm, ſed & nutus omnes prævertere ſatagebat. Everardi Generalis Præpoſiti literis Anglicam ad miſſionem adornandam Pragâ Romam evocatus, attonitus hæſiſſe, (quæ verecundantis animi, & minimè cun-

ctantis

ſtantis ſpecies erat) atq; deinde in has erubeſcentiæ & modeſtiæ pleniſſimas voces fertur erupiſſe. ENIMVERO DE ME, NESCIO, QVID PATRES SVSPICENTVR; QVOD VTINAM SVSPICENTVR VERE, DOMINI TAMEN VOLVNTAS FIAT, NON MEA. Neq; alio facto aut dicto oblatum iter impedivit, ſed eâ alacritate ſuſcepit, ut quantum eam ad Provinciam obeundam afferre facultatis, tantundem voluntatis commodare videretur. Acceptis exinde ab Everardo expeditionis mandatis, poſtquam à Pontifice humaniſſimè acceptus, & officij commonitus fuiſſet, ab ijs fauſta omnia imprecantibus digreſſus, iter arduum, idq; totum pedibus emetiendum aggreditur, non minori temperantiæ, quàm obedientiæ documento. Poſt multam variámq; fortunam, cœlo & ſolo propitijs, in Angliam cùm appuliſſet Campianus, &, (ut fit) periculis cavendis huc illuc eundem cura & providentia Perſonij ablegâſſet, non potuit tandem, quin in Lancaſtriam proficiſcens, Jattæum Catholicæ Religionis propugnatorem acerrimum, ita ferente itineris ratione, viſeret. Perpulit ad hoc animum ejus crebra invitatio Jattæi, aliorúmque diuturnâ religionis ſiti exæſtuantium, ut divino paſtu, potúq; recrearentur. Sed ponderabat Perſonius Campiani hinc flexilem animi mollitudinem, in auxilium & levamen omnium; inde Jattæorum, totiúſq; familiæ in cauſam nomenq; noſtrum ſtudium: quo fiebat, ut utrorumq; fervori moderando, Rudolphum, poſcente Campiano, præficeret. Hæc ubi imperia promptis utrinq; animis accepta ſunt, paruit Campianus Rudolpho homini laico examuſſim, lætus multò magis religioſæ humilitatis, & obſequij materiâ, quàm impetratâ alios adjuvandi, cujus tamen erat cupidiſſimus, facultate. Quantum in mandatis expediendis ſui ſecurus, abſq; cunctatione & ponderatione omnia exequebatur, tantum in omnem partem providus, cum ſuo genio permitteretur, tempus pariter modúmq; circumſpiciebat, & dabat operam, ne inconſultiùs agendo, Martyrij ſpem acceleraret quidem, fructus verò impoſterum proferendi occaſionem omnem imprudens præcideret. Sui proinde adventus conſilium publicis literis multo ante commendatum, maternâ linguâ exaravit, ut, ſi ex improviſo captus, indictâ cauſâ, ad necem pertraheretur, extaret, quo famam, fidemq; adversùs veritatis oppreſſores tueretur. Neq; magno & excelſo ejus animo inferior conſtantia fuit, & fortitudo; quâ, ne in portu curſum ſiſteret, impensè cavit. Primo in Angliæ aggreſſu fuerat, cùm Amici profectionem diſſuadere, obſepta littora,

tora,

tora, inſeſſos aditus, diſpoſitos vigiles, quæq; alia deterrendis ab occœpto itinere etiam non timidiſſimis memorari poterant, obtendere non dubitaverunt. Cohiberet tantiſper præcipitem multorum in exitium impetum; qui coercendus eſſet, tametſi unius ipſius caput in apertum diſcrimen vocaret. Nunc cùm non civium duntaxat, ſed & accolarum fides in invidiam & perniciem traheretur, multò maximè amicorum conſilijs acquieſcendum eſſe. Multis ſuper ea re ultro citróq; agitatis tandem in hanc ſententiam conſpiravêre Campianus & Perſonius, ut aleam ingentibus animis occœptam, pari virtute jacerent, & vitæ diſcrimen, vocatâ omni in ſubſidiū induſtriâ, Dei causâ fortiter adirent. Hic militari habitu, vultúq; pene aliam in faciem efformato excubias fefellit, amicúmq; Patricium (ſic Campianum cognominabat) initâ apud ipſos cuſtodes inuſitatâ gratiâ, artificio mercatorem, reipſa Jeſuitā, illis impensè commendavit. Sed non item primus appulſus dexter fuit Campiano; niſi quòd ſiniſtra omnia præſenti miraculo boni cœlites averterent. Vix Angliam ingreſſum ſtatuit Prætor de concilij ſententia vinctum ad ſenatum tranſmittere. Equi cum ſatellite deducendum præſtolabantur; cùm ſe interim ad ſecreta precum præſidia convertit Campianus, id ſolùm à Deo enixè poſtulans, nè ex arena ante certamen ſubmoveretur, ſineretúrq; manus conſerere, & ſolidum annum in acie adverſus hoſtiles impetus confligere: quo exacto, neq; cruces, neq; laniatus ullos deprecaretur. Videri potuit cœlum ſuam in ſententiam illico pertraxiſſe. Repentè incitatus Præfectus opinionem revocat, bonum, nobilemq; Virum haudquaquam temerè vexandum Edmundum pronunciat; itaq; quibus vinctus vehendus erat, conductis à ſe jumentis maturando itineri nunc utitur, neq; antè hoſtium in poteſtatem venit, quàm, poſtquam ſupra exoptatum annum, menſem integrum ſeſe patriæ & civibus ſuis impendiſſet. Totam deniq; mentem ejus officinam credidiſſes & Oeconomiam Virtutum, in qua unius ad Dei gloriam cuncta compoſita, reliqua naturæ ſive ornamenta ſive incitamenta ſub freno, & certiſſimis melioris politiæ legibus moderabantur. Eam demum optimam Philoſophiam ratus, quæ domi mores ad divinæ voluntatis normam cùm compoſuiſſet, foris quoq; cum verbo, tum exemplo, animos Mortalium ut virtuti devinciret, ſedulam operam navaret, crederetq;, id omne Chriſtianæ à Philoſophiæ ſcopo longiſſimè aberrare, quod quacunq; demum viâ & ratione à rerum omnium Moderatore Deo vel latum unguem abiret.

EDMVNDVS CAMPIANVS THEOLOGVS SVBTILIS.

THeologia Regina Scientiarum aquilam in fronte præfert, non abſq; veritatis lemmate, ac propriæ perſpicacitatis argumento: ACVTVM TVETVR. Inconnivis ea oculis in cœlum fertur, intenta in Divinitatis Solem aciem; atq; inde uſq;, per Cœlites, per virtutum, vitiorúmq; diverſiſſimos gradus, per divina ac humana omnia ad inferos digreſſa, immortales Mortalium pœnas ſuo pondere & calculo metitur. Quid eâ excogitari poteſt humano animo dignius? quid ad nos à vitiorum contagio vindicandos accõmodatius? Nativâ vi à terrenis expedita, ſponte ſuâ in divinis eſt, neq; inde ad ſecundas cauſas oculos avertit, niſi ut per magnarum rerum ſpeciem in arctum collectam, earundem authorem velut in ſpeculo intueatur. Illa DEI cognitione, & longinquâ per Philoſophiam ejuſdem commentatione imbutos animos Mortalium, novo quodam, acutiſſimóq; doctrinæ genere ad Divini Numinis cultum, & religionem informat. Illa admirabilem Divinæ Triados unitatem ita explicat, ut numerum cum ſimplicitate componat, & oſtendat diverſitatem abſolutiſſimæ ſimplicitati non repugnare. Illa attributa DEI, & Numinis ſacroſancti præconia quaſi in numerato habet, ſuâ quamvis multitudine innumera, magnitudine immenſa ac infinita. Illa virtutes ac vitia infinitis ſpacijs diſtare: illas gratiæ è fontibus ortas, gratiæ incrementis compenſari; hæc divini favoris obtutibus ſpoliare, haudquaquam obſcuris argumentis demonſtrat, atq; excitato horum odio, earum amorem omnium in mentibus excitat, & porrò in frugum ſpem, ac uberem meſſem referre conatur, clariſſimo indolis ſuæ documento; quæ quàm Mortalium æterna damna impensè cavet, tam eoſdem elaborat perpetuis commodis, & nunquam interituris præmijs cumulare. Illa, hac in vita vitæ alterius archetypon eſt, & expectatæ felicitatis quædam adumbratio, dum longè ſepoſitam, & ſuâ claritate obvolutam magni Numinis divinitatem evolvit, & mortalibus animis coràm ſpectandam proponit. Illa deniq; vim mentis explicat, rationem ornat, virtutem auget, vitam divinis myſterijs locupletat. Neq; audiendi ſunt, quibus ſuo arbitratu probè doctis ac ſapientibus

bus in vitium ſenſus abundat, ac in divinæ iſtius ſapientiæ opprobrium turget oratio. Dicunt & multiplici rumore diſſeminant perſtringendam curſim eſſe, & perfunctoriè obeundam Theologiam, pertractatis ſolummodo ijs, quæ ad actionem referuntur. Volunt nimirum Rempublicam Chriſtianam ad eam doctrinæ mediocritatem revocare, quâ leviter aſperſa fuiſſe dicitur, cùm è popinis & latibulis emersère rerum ac religionum Novatores; quibùs ingenio vafris, atq; ad omne facinus projectis, pronum promptúmq; fuit, ganeones primùm, & illiteratam plebeculam Sophiſtarum præſtigijs percellere; donec doctrinâ & opibus pollentiores communi quodam impetu in exitium & ruinam pertraherent. Ante oculos opponite illud vulnus, (ſi tamen novo abſq; vulnere & dolore poteſtis) quo Germaniam miſere afflixit fœdiſſimi buſti cadaver, & Sacramento ſancitæ religionis infamis deſertor, Lutherus, cùm novâ proſeminatâ ſuperſtitione, ab avita, caſtâq; pietate plurimorum animos abſtraxit; tantóſq; habuit ea in peſte circumferenda progreſſus, ut nimiùm deplorandos ac faciles conſenſus tanti mali initia habuiſſe videantur. Quis neget vitio eorum ſerpſiſſe, atq; latiſſimè explicatam eſſe hanc peſtem; qui, quam impense procurare oportebat, rerum ſacrarum ſcientiam neglexerunt: unde evenit, ut Opiniones ab inſaniſſimo hiſtrione diſſeminatæ facilè radices agerent, & unius hominis amentia, quæ ſua in herba divinæ ſapientiæ vi opprimi quàmprimum potuit, nemine obſtante, latiſsimè diffunderetur. Neq; unius Saxoniæ ſpacijs contenta fuit hæc contagio; ſed libere ac licenter graſſata eſt, quoad viri apprimè ingenioſi, periti, & acuti, quaſi divinitus conceſsi ſunt, hanc ad perniciem ſanioris Theologiæ viribus radicitus exſcindendam. Inter quos merito ſuo, & occœpti laboris ordine annumerari debet Edmundus Campianus, religionis propugnator, hoſtis errorum acerrimus, & adversùs impiam ſectariorum contumaciam triumphator glorioſus. Satis non habuit admiſsis ad animum arcanis ſecretiſq; Theologiæ, (quam ſcholaſticam appellamus) cognitionibus, aquilæ adinſtar, eo mentem applicare, quò neq; humana ratio ſuis viribus pertingere poteſt, neq; vulgi curioſa ambitio ſolet aſpirare: ſed pro virili curavit, ut quidquid vel animo excolendo, vel virtuti conſervandæ, vel actionibus moderandis prodeſſet, id omne pertinaci ſtudio condiſceret, & conſtanti alacritate penitùs exhauriret. Superficiem alij removent, hoc uno contenti, ut in pulchritudinem Scientiarum primos

cominus vel eminus advertant. Hic lynceis oculis omnem divinæ & humanæ ſapientiæ facultatem peritiſsimè cùm perſpexiſſet, nihil antiquius habuit, quàm contractas ſcientiarum copias in campum educere, cum hoſte committere, & quacunq; viâ & aditu liceret, profligatis divini honoris oſoribus, majorem Dei gloriam latè explicare. Aperuerat ſe eidem ſpacioſa certaminis arena apud populares, alióſq;, quando Divino nutu, & Majorum imperio in Angliam evocatus, omnem ingenij nervum eò adhibuit, ut mendaciorum architectam, novam, convulſæ Religionis velut ex ruinis enaſcentem Impietatem, ſinceræ Theologiæ præſidio confutaret. Sed eò jam ſive tumoris, ſive amentiæ provecta fuerat popularium hæreſis, ut veritatem eludere, religionémq; orthodoxam penitùs elidere cùm apud ſe conſtituiſſent, omnem lapidem ſurſum deorſum moverent, omnemq; ſcientiam in quadrum & gyrum agerent, nodos nodis attexerent, peregrina & inania omnia conglomerarent, neque unquam in propoſito tramite ſtarent, hoc uno ſtabiles & immoti, quòd ſe omnem in partem darent, ad veritatis vim, & diſputationis robur evitandum. Illi jam interpretes, jam Concionatores inani vociferatione cùm egiſſent; mox in Theologiæ confinia irrumpebant, interdum Mathematicorum; &, ſi Deo placet, Grammaticorum quoq; penetralia præfidenti inaniloquentiâ tentantes, opem undecunq; adversùs veritatem ſolicitabant, & dum nihil ignoràſſe ſe, videri voluerunt, & cuncta in diſputationis & fraudium ſuarum tutamen evocârunt, in ancipiti poſuerunt ſapientiam, famam, gloriam; atq; his omnibus potiorem ſalutem. Hic tametſi varijs ſcientiarum ornamentis eſſet inſtructus, illud nihilominus impensè agebat, ne velut in honoris theatrum evocaret, & vaniſſimâ oſtentatione admirationi omnium obijceret tantæ ſapientiæ apparatum; ſed, cùm temporis ratio, & locorum opportunitas exigebat, ita ſingulis utebatur, ut unus omnium ſcientiarum hæres & legitimus poſſeſſor videretur. In pulvere & arena ſumus, ubi ſe varijs experimentis Theologum non minus acutum, quàm efficacem probavit Edmundus. Bezam (proh! quantum perfidiæ hæreticæ nomen!) ſuis in tenebris aggreſſus, in lucem protrahere, & veritatem eidem clariſſimis indicijs demonſtrare non dubitavit Campianus. Genevam iter habuit, ubi commorantem hunc Calvinianæ impietatis Anteſignanum ex occaſione adortus, falſitatis & inanium nugarum convictum compulit ad fraudes confugere, ejuſmodi hominum generi familiares.

Ferve-

Fervebat, & in ambiguo fluctuabat Bezæ oratio, Lutheri inter ac Calvini Diſcipulos exiguum ſpatium intercedere aſſerentis: quem tantâ Theologiæ vi, & tanto rationum pondere repreſſit Campianus, ut, ſimulato negotio, & ſubitâ calliditate, iram, quaſi de aliena re, fingeret impoſtor, perq; humaniter appellatum hoſpitem, atq; Anglo cuidam officiosè commendatum à ſe dimitteret. Necdum ſuo à calore conſederat animus, cùm Ducem ſuum ejuſdem fæcis miniſtrum illico velut in arena aggreditur, oppreſſurus haud dubiè, niſi quos increbreſcens nox non potuit, obſtinatos utrinq; in pugnam animos Perſonius diremiſſet. Illuxerat itineri proferendo dies, & Campianus mille paſſus antegreſſus, in hominem, libero campo ſpaciantem, incidit. Signa edebat hominis concionem ſecum animo repetentis. Nam minaci jam vultu auditorium increpantis, jam blandâ oris compoſitione concitatum populum delinientis oratio alterno quaſi habitu fluebat, ſuis manuum comploſionibus, digitorum argutijs, frontis caperatione, & frequenti barbæ emulſione diſtincta. Ratus, (id quod erat) Verbi Miniſtrum, ineundi novi certaminis ardore inflammatus compellat Campianus; ad quod eum heſternus calor nondum penitùs conſopitus extimulavit. Neq; inhumanè (ut erat Ethices apprimè gnarus) rem exorſus, poſt brevem ſalutationem, de capite & regimine Eccleſiæ vacillantem, & in utramque partem fœdè nutantem, tanto verborum & doctrinæ pondere oppreſſit, ut cùm mutire contrà non poſſet, irâ ac furore plenus, pro gentis more, convitijs ac penè etiam pugnis in os impactis diſceptationi finem impoſuerit. Illud operæ & doctrinæ precium tulit Campianus, paulùm ab homine digreſſus, dum effrenem animi commotionem leniret, cùm ad calumniam reprimendam revertiſſet, Polæo ſe denuo adjungit, à quo viciſſim agnitus de ſumma rerum tam fructuosè verba fecit, ut attentè auditus, occulto morbo medelam & præſens vulneri remedium adhibuerit. In digreſſu etenim Polæus ultro ſanctiſſimâ pollicitatione recepit, Romam primo quoq; tempore profecturum ſe; ubi orthodoxæ religioni operam ſedulam navaret, diuturnáq; uſurpatam temeritatè credendi normam meliore conſilio ejuraret. Neq; diſſimiles his conatibus labores, eorúmq; fructus extitère, è libello decem rationum à Campiano conſcripto. Opus erat uti rerum pondere graviſſimum, ita dicendi facultate & majeſtate planè ſingulare. Ejus in commendatione non minus tributum eſt ab amicis veritati, quàm ab hoſtibus calumni-

mniandi deſiderijs. Hoc ſanè ad Poſteros pertinet elogium Antonij Mureti, viri dicendi æquè, ac literarum omnium laude celeberrimi, quo AVREVM LIBELLVM VERE DIGITO DEI CONSCRIPTVM cognominabat. Ei typis commendando, & publicæ luci, evocatus Londinum à Perſonio Campianus, incredibile dictu eſt, quantum Chriſti militibus, vel animi, vel voluptatis attulerit. Conſulentibus reſponſa, indigis ſacramenta miniſtravit; ad concionem quotidianam verba fecit, ſucceſſu tali, ut metueret ipſa à celebritate prodi. Plurimos facundæ ejus ſapientiæ viros ac fæminas debet Eccleſia; quos vel nutantes ſublevavit, vel proſtratos jam, atq; lævam in partem penitùs procumbentes erexit. Neq; minori ſuo quàm cæterorum ſolatio ſacratiſſimæ Theologiæ commoda diſpertiebat, eo ſenſu voluptatis in animum viciſſim redundante, ut à lacrymis cum temperare ſibi nequiret, manantibus ſæpe inter ſingultus oculis concionem abrumpere ſit coactus. Vrbem fervor ejus ita obibat, ut in viciniam quoq; excurreret, divinæq; mentis vim longè ac latè explicaret. Datum interea amicorum precibus & inimicorum commodis illud eſt: commiſsâ præli procuratione Richardo Mauritio provectæ ætatis, confirmatæq; virtutis viro, ad evulgandum libellum, paulò poſt decem rationes publicam lucem & plauſum meruère. Suo velut ab ungue jam notior Campianus omnium in ore præclaram viri doctrinam vel deprædicantium vel calumniantium erat. Erat pro affectu diſpar ſententia, æqua etiam hoſtium multorum, quos cum religione judicij integritas non omnino deſeruerat. Vt legeretur, ſtylus effecerat; quo ſinceræ veritatis documenta obleverat, ut perjucundo orationis illicio ad legendum invitaret. Et erat tum proviſum opportune, ut ejus quàm plurima exemplaria ſcholis Oxonienſibus inferrentur, ipſo nimirum die conventibus frequentandis deſtinato, quo ſolemni more extimulandæ literariæ ſolertiæ, in magna Procerum & nobilitatis corona ingenti promovendorum ambitione contracta, Academici honores & tituli, præmij in vicem conferuntur. In ſcenam ergo curioſitatis temere projectus, aut velut in honoris theatrum non abſq; ingenio illatus libellus, admirationem juxtà & lectionis deſiderium incendit. Et furor & favor, poſt ſolutum conventum, libri authorem excepit; ille eorum, qui hæreſi velut ſaxo ex infelici naufragio mordicus inhærebant, & jam facti impietatis Magiſtri tanto plauſu accipi ea, quibus ipſi compungerentur, moleſtiſſimè ferebant.;

hic

hic vero illorum, quibus jucundum fuit vanas Miniſtrorum (quos plerumq; contemptui habent) iras, arteſq; eludi. Omnes deniq; doctrinam ac vim ingenij admirati, libelli lectionem efflagitârunt; neq; ulli ita obvius fuit, quin continuo per multorum manus peregrinaretur. Magnum inde & illuſtre Campiani nomen, magna Societatis laus, & Catholicæ rei ingens æſtimatio effecere, ut; alij abjectâ, & abjuratâ hæreſi ſanam religionem denuo profiterentur; alij penitus obmuteſcerent, taciti tantæ Theologiæ Præcones. Nemo ſanè omnium vel voce, nedum ſcripto auſus fuit compertæ veritati obluctari; quæ tam feliciter publicam in lucem eluctata, omnium animos ſtupore & admiratione complevit. Ira tamen & rabies Miniſtrorum, ſilentio, velut intra terræ viſcera concluſa, ſecum pugnabat; poſt comparatam vim, brevi in publicam Campiani perniciem eruptura. Spatium bene longum interſuit, antequam Eliotti vaferrimi artibus circumventus Campianus, comprehenderetur, captivaretur, & poſt ſecretos equulei cruciatus, & non unius generis acerbiſſimas pœnas, ad pugnam literariam ab hoſtibus iniquiſſimis conditionibus depoſceretur. Facilem nempe credebant victoriam relaturos ſe, à fracto, & tot doloribus ſubacto corpore; neque vigoris aliquid ſupereſſe arbitrabantur membris penè emarceſcentibus, atq; ſummâ Carnificum induſtriâ ac vi ſuis ſedibus excuſsis. Hac ergo fiduciâ in campum eruditæ concertationis inermem provocaverunt, immemores, quantum dedecus adirent, ſi ab uno tot ærumnis fracto plurimi vincerentur. Dictus certamini locus & dies; conſtituti Theologo noſtro antagoniſtæ, præcipua hæreticæ eruditionis nomina, Novellus & Dayus; cautúmq: quàm diligentiſsimè, ne grandis pugnæ rumor aliquis Campianum ſocióſq; afflaret. Sed neq; diſputationis argumentum, neq; genus ullum librorum conceſſum fuit Edmundo; tam æquo Marte & paribus armis ab hæreſi certatur! Erecto nihilominus animo, poſt attentam ad Devm precem in lectionis locum ſubmiſſam, certamini ſe offert Campianus. Confluxerat conſtituto die ad inuſitatum ſpectaculum ingens hominum vis: latera ſuprema nobilitas; medium locum, pugnæ arbitri, mali potiùs, quàm magni nominis hæretici; extremum cum ſocijs Campianus tenebat; qui & rumore toleratorum cruciatuum, & venerabili oris atq; animi ſimilitudine omnium in ſe oculos rapiebat. Poſtquam eo ſedente murmur populi quoq; conſediſſet, vulgatis iniquiſsimis conditionibus, Edmundoq; de ſcribendi audacia, &

vocatis

vocatis in publicum certamen omnibus Angliæ Theologis nauſeabunda oratione reprehenſo, cùm longiùs, quàm vel tempus, vel cauſa exigebat proceſſiſſet, furore tandem & rabie plenus, ſpecioſum præclaræ pugnæ thema è Campiani libello, Novellus, vocem irâ intercipiente, prælegit. LVTHERO QVID CAVSÆ FVIT, VT EPISTOLAM JACOBI STRAMINEAM FLAGITIOSVS APOSTATA NOMINARET, ET INDIGNAM APOSTOLICO SPIRITV? Campianus peroràſſe Novellum ratus, vultu ad modeſtiæ leges attemperato, objecta fortiter diluit, & divinam authoritatem Iacobi Epiſtolæ à ſenſu antiquitatis, & teſtimonijs Patrum in medium collatis validiſſim. conciliavit. At verſi ſuo more hæreſeos miniſtri ad convitia, rem totam maledictis concluſère; idq; unum egerunt, ut pompam fraudibus, & verſutâ eloquentiâ triumphum ſibi inſtruerent, pernegando verba ejuſmodi in Lutheri monumentis reperiri. Sed perſonam triumphanti brevì detraxit ipſorummet hoſtium confeſſio, qui poſt curioſam tantæ rei inquiſitionem, incorruptis in Lutheri codicibus idipſum inveniri faſſi, plauſum Edmundo, & hoſtibus ſtomachum commoverunt. Irritata ſtomachantium inſania horis pomeridianis denuo acriorem in diſceptationem venit, hæreticas partes tuente jam Dayo. Populo fucum facturus, & riſum; crepantibus buccis in dogmatis tutelam, Græcum Evangelij contextum adlegat Dayus, perſuaſiſſimum habens, veterum linguarum cognitionem apud Campianum vel minimam eſſe; vel omnino nullam. Ipſe interim raræ atq; reconditæ ſapientiæ nomen modo græculis, modo hebræis vocibus venatus, plaudente vulgo, quod ſubinde inanibus nugulis tria peregrina verba magno ſupercilio immurmuràſſet, aculeatis interpunctionibus adverſarij imperitiam notat, & collectò riſu ac illiberali ſale in eandem impudentiſſimè jocatur, trito illo in multorum inſcitiam diverbio: GRÆCVM EST; NON LEGITVR. Vincendi pudòris ſui occaſionem nactus, ſilentiò abſorbuiſſet hanc ignominiam Edmundus; niſi de juſtificante fide vocem SOLAM magnopere à noſtris agitatam, inter jocos & ſibila Græci magis, quàm Latini Patris cujuſdam ſententiâ ludibundus diſputationis æſtus ſæpe objectâſſet: quare lòcum deſignatum græcè recenſet primò; atq; deindè tantâ peritiâ patrium in ſermonem verbatim traducit, ut æquè utramq; linguam callere, æquis iniquiſq; omnibus appareret. Quid multis? contorſit demum in adverſarios telum tàm validum, támq; vehementer eos perculit, ut incerti ſententiæ & verborum, diu ambi-

guiʼ

qui trepidarent, uſitatóq; præſidio ſe tuerentur, captioſam, & plenam fraudis argumentationem è Sophiſtarum penu depromptam fuiſſe. Campianus iterato repetere, atq; vitium expoſcere inſtitit, iterum atq; tertium eis obtrudendo: SI SOLA FIDES IVSTIFICAT; SINE CHARITATE IVSTIFICAT: ATQVI SINE CHARITATE (ſi Apoſtolo credimus) NON IVSTIFICAT, ERGO NEQVE SOLA. Feſſis jam & vero etiam falſitatis pene convictis illis duobus, majus robur ſubordinatum fuit, novæq; operæ ſubmiſſæ, FVLKVS & GODIVS. Itum denuo in pugnam eſt hac lege: ut Campiano nullus comparationis locus, ſed neque ullius libri copia relinqueretur. Ampliſſimè tamen ipſe omni abſq; præſidio præclaram Theologiæ peritiam ſolo animo concluſam tuitus, ingenij acumine, & ſententiarum ſubtilitate ſui nominis reverentiam ubique excitavit. Publico quidem exinde ad diſceptandum theatro uſa non eſt iniquitas; ſed neq; frequenti auditore: credo, quòd audacia multoties icta ſapere tandem, atq; in paucorum conſpectu erubeſcere didiciſſet. Quotieſcunq; enim pedem ad dimicandum contulit, toties pene hoſtium confeſſione victor, teſtimonium virtutis juxtà & veritatis retulit Edmundus. Non minùs diſerta, quàm acuta fuit de Eccleſia ſub viſum & oculos Mortalium cadente; de admirabili panis ac vini in Corpus ac Sanguinem Domini tranſſubſtantiatione Oratio, cujus quia fructum negligunt Angli, vocem vilipendunt, atq; veritatis curam in poſtremis habent. Omnium deniq; in animis poſt diremptam deſperatione hoſtium acerrimam concertationem fixa, ac firma perſtitit opinio, Edmundum diſſerendi copiâ, ingenij divinâ vi, & Theologiæ ſubtilitate ab hoſtibus palmam & victoriæ herbam tuliſſe. Neq; adeò hebetes fuère hoſtium animi, quin ingentem ſe publicis his è congreſſibus plagam accepiſſe animadverterent; ſiquidem communi exinde conſilio cautum eſt, ne ejuſmodi dimicationum copia Jeſuitæ daretur. Sed & ipſe fructus luculentum argumentum præbet operæ utiliter locatæ: ſiquidem cùm alij quàm plurimi, tum præcipuè Philippus Hovardus Arondeliæ Comes, Norfolicenſis Ducis filius ejuſmodi certaminis robore perculſus animum brevi mutavit, ejuratáq; hæreſi Catholicam religionem ex animo induit, eóq; heroicæ ac Chriſtianæ fortitudinis progreſſus eſt, ut inter vincula & carceres illuſtrem vitam lætiſſimus degeret, & quam ſuo ſanguine deſcribere maluiſſet, hauſtam è Campiani doctrina religionis & virtutis conſtantiam obſignaret, & clauderet vitæ pie obitæ clariſſimo documento.

EDMVNDVS CAMPIANVS
MARTYRIO, VELVT DOCTORALI LAVRO, INSIGNIS.

SVa cuivis labori merces eſt conſtituta, ſuúmq; virtuti præmium; quod apud Sapientes eſſe conſuevit gloria, & erudito vertici decreta corolla. Neque enim aliud ornamentum docto capiti debetur, quàm laurus muſis ipſis chara ac dicata. Alio alij ritu adultam doctrinam exornant; Angli Theologo noſtro purpuram deferunt tantæ dignitati concolorem; à qua ſæpe deinceps toto corpore erubuêre novi honoris Candidati. Nos velut in Actu & theatro publico conſtituti, promotionis ordinem & impenſi honoris ſeriem e propinquo ſpectabimus, magni Martyris Edmundi gloriam, hoc ſaltem literario obſequio, veneraturi; ne in ſupremo præclari quondam Rhetoris Pragenſis plauſu ac triumpho, dum variæ omnium gentium acclamationes circumſonant, ſoli tacuiſſe videamur, infacundi, & ingrati Eloquentiæ Clientes. Cùm primùm ille ſe ſcientiarum omnium, atq; ſanioris imprimis Theologiæ peritiſſimum probâſſet, in ſublimi cathedra induſtriæ juxtà & ſapientiæ minerval proprio cruore reſperſum tulit, ab immani Anglorum crudelitate, ſuo in capite & Anteſignano Calvino ſatis literata; cui quondam ſceleris infamiam, & pronam in pejus libidinem candente calamo in dorſo deſcripſit Juſtitia, æquius factura, ſi capite multatam hanc peſtem ac publicam perniciem, ſuo in ortu extinxiſſet. Sed vivit ea nunc, & in capita multorum graſſata, vivacem ac vegetam religionis diſſeminandæ libertatem reſte intercludit. Non ſatis habuit inflammata crudelitas generoſam virtutem laqueo intercipere, ſed omnem prius nervum artubus Edmundi dilacerandis adhibuit, eóſq; ſuâ compage emotos luxatóſq; ardente face uſtulavit, ut ſic debilitatum & fractum animum Judicij quæſtionibus penitùs ſuperaret. Facilius ſuo loco cautem marpeſiam, quàm conſciam recti mentem ſuâ ſtatione exegerit Tyrannis. Minas contemnit; pericula deſpicit; inter fluctus & malignæ ſortis procellas firmitate conſtantiam demonſtrat Campianus. Operæ precium fuerit, miſſo in compendium illuſtris patientiæ prodigio, eruditam viri religionem ad faſtigium uſq; comitari, ſtantémq; ſub coronide, novæ

digni-

dignitatis Candidatum admirabundo obſequio venerari. Judicium Anglicanum Tragœdiæ theatrum eſt,& ſcena impiæ crudelitatis; in qua Innocentiam ſannis ac ſibilis expoſitam, Tyrannidi excruciandam præbet Impietas. Et eſt loci ipſius ſpecies, formidabilem ad majeſtatem compoſita,eò etiam ſpectabilior,quòd ingenti capacitate quamplurimos complectatur feralis actûs ſpectatores. Hac in amplitudine raro opere excitata aſſurgunt tribunalia terna ſuis ſedibus undiq; cincta,quæ cancellis,Actoribus ac Judicibus intercipiendis circumſepta,reliquam multitudinem excludunt. Qui rei majeſtatis peraguntur, ſine patrocinio, ſuâ ſe facultate tueri coguntur, apud cancellos ſoli ſibi, ſuóq; genio relicti; quos interdum dicacitas accuſatorum & mentiendi licentia quàm proxime ad deſperationem cauſæ adigit,& ad incitas jam ac reſtim perductos, æquitas omnis, & commiſeratio deſtituit. Judicij porrò ſive æquitas, ſive rigor & ſeveritas ex actionis præſentis ſerie conſtabit. Placuit judicij arbitris, privato quaſi examine & judicio, reorum ſive conſtantiam, ſive diluendi ſceleris promptitudinem experiri; quos, cùm pares fortitudine ſuæ ſævitiæ comperiſſent, ad fraudes continuò nectendas confugiſſe, atq; illud quaſi diſcordiæ difficile pomum in medium jeciſſe dicuntur: æquè an iniquè lata ſit in Eliſabetham ſententia à Pio V. Pontifice Max. Edmundo, eliſâ ſeditionis objectæ ſuſpicione ac calumniâ, promptum ac facile fuit hunc nodum diſſolvere: hac ſcilicet in quæſtione nihil eſſe quod ſibi negotium faceſſerent. Inſpectâ viri vi & innocentiæ conſcientiâ, excogitandis conſuendiſq; fraudibus quaternos dies ſumpſerunt. Sed neq; ſic quidem adjuta fuit impietas, os animúmque Martyris regente Deo. Fama interim, & vulgatus Judicij rumor infinitam penè undequaq; hominum copiam concivit; quorum complures vel odium religionis, vel rei novitas, & expectatio, atq; nonnullos æſtimatio Martyris evocavit. Dictus fuerat cauſæ dies XII. Kalend: Decemb: Huc inter cuſtodes ac carnifices perductus Campianus, oris ſerenitate & quaſi vivâ Innocentiæ confeſſione æquorum iniquorúmq; oculos vel ſuſtinuit, vel placavit. Omnibus longâ expectatione in rem præſentem intentis, Martyrum crimina ex more prælegutur; ipſis manu in altum porrectâ ſui judicium facientibus. Quod cùm Campianus crudelem in modum equulei vi diſtractus atq; enervatus præſtare non poſſet, inſignis occaſio oblata fuit Schervino, ut brachium ejus involucris expeditum atq; oſculo delibatum ſublime efferret, magnâ vene-

ſationis ſignificatione. Decuit enimverò hoc officij genere hanc dexteram exoſculari tot tantiſq; cruciatibus Religionis causâ affectam; ut, quam facultatem reſpondendi ſæviſſima Impietas ſuſtulerat, officioſa pietas reddidiſſe videretur. Vt modum Judicij nullum, nullúmq; ordinem teneret improborum iniquitas, longam Iliadem ineptæ accuſationis attexuit, orationis copiâ, & teſtium multitudine, omnium, atq; imprimis reorum patientiam vehementer lædentibus. Jam horas aliquot attriverat infinita garrulitas: cùm modeſtè juxtà, & fidenter importunum Oratorem interpellantes rei orant, alienis, atq; ad cauſam minimè attinentibus abſtineret tandem; propria in medium adduceret; neque injectis inanibus moris ſpem, & alieni cruoris ſitim longâ expectatione luderet. Sed videbantur reducto obice fluctibus viam aperuiſſe: tantâ orationis inſolentiâ ferebatur dicaciſſima Poppami loquacitas; cui non minùs, quàm torrenti, effracto aggere, atq; obſtaculis dimotis, in præceps iter eſt, celeritate ſuâ æquè, ac invehendis periculis formidandum. Non ſuſtinuit ultra hominem in alienis probris ineptientem Campianus, ad ſua ſuorúmq; orationis impetum ut revocet, monet, niſi omnium retrò commiſſorum ſcelerum reos agere vellet, hoc ſolo nomine, quòd Catholicam religionem profiterentur. Sale deinde modeſtè interpoſito amentiam ejus necquidquam corrigebat, quærens; num furto ablati arietis revinci quis poſſit, eo argumento, quod Pater, avus, atavus, atq; alij retrò Majores ovillam interdum non illibenter eſitâſſent. Fruſtra omne remedium illi capiti fuit, quod vehementi dementiâ correptum aliorſum ibat, quàm quò ratio, & æquitas impellunt. Tandem tamen collegit ſe criminandi virus, inq; liberalem peſtem, & atrox exitium Martyrum erupit: dum Conjurationis initæ reos, de Regina tollenda, vertendóq; Angliæ regno, efferatâ vociferatione, vocatis in opem teſtibus impiè peregit. Fuêre hi quàm fortunâ, tam vitijs poſtremi; neq; aliunde, quàm à perfidia, & ſcelere noti ac conſpicui. Eliottus agmen præibat, nefariâ jam antè proditione infamis. Accuſationis vanitatem brevi oratione eliſit Campianus, ut neq; apud hoſtes, qui æquitati ſtudebant, ſceleris contracti ſuſpicione ullam relinqueret. Neq; aliud vulgò jam credebatur, quàm eundem propediem abſolvendum, accuſationis capitibus ad XII. viros à Judice relatis. Sed longè aliter evenit. Feralis revertentium XII. virorum vox, omnium animos perculit, majeſtatis reum pronunciantium. Quid ageret Martyr apud homi-

nes hanc in ſententiam jam antè obfirmatos, ut capitis damnarent, quocunq; eventu Judicij alea cecidiſſet? Fruſtra etenim perditurus verba erat, apud eos, quibus nullus juris recti, pudoris, ſed neq; DEI reſpectus ſupereſſet. Quanto ergo ſe beneficio divina bonitas dignaretur, ſecum reputans, ingenti exultantis animi ſpiritu in hymnum erupit TE DEUM LAUDAMUS; vultûs atq; totius oris & corporis ſignificatione repoſitæ intra pectus lætitiæ reſpondente. Tametſi hoc accepto nuncio maximopere gavíſus eſt: ad conſulendum tamen infirmioribus dilucidè ſubinde demonſtravit letalem ſententiam ſe non commeruiſſe, ob aliam quàm religionis cauſam: idcirco, quod pollicitatione opum ac honorum conati non fuiſſent eò ſeducere animum ſuum, ut eorum voluntati non maximis in rebus concederet, ſi in hominem ſeditioſum, & Majeſtatis reum hæc benevolentiæ munera conferri fuiſſent arbitrati. Quod enim majus amentiæ argumentum eſſe poſſet, quàm opibus ac honoribus augeri hoſtem Reginæ ac Patriæ, ab ijs, qui Reginæ ac Regni ſalutem cæteris omnibus anteponunt. Commento nimirum opus fuit, & fuco confictæ perduellionis, quo uno ſcelere ex oculis & vita veteris Religionis propugnatorem emoverent. Quamvis quidem cruoris ſitientiſſima eſt, & aliena ſuper cadavera conſtantiam ſceptri, & regendi firmitatem inſtruit, honeſti nihilominus ubiq; rationem init hæreſis invidiæ depellendæ causâ. Ab hac ferali ſcena ad carceres & conſueta vincula dum revertit Martyr, extremas veſtes, manúſq; palàm deoſculantium frequens veneratio eſt eum proſecuta; quem deinde cymbæ impoſitum, quando alia re non poterant amici, lacrymis & dulciſſimo oculorum conjectu comitabantur. Nondum omnino in hujus ſententiæ conſenſionem omnium Judicum animi convenerant, alijs (uti fit) aliud ex alio in oppoſitum cauſantibus. Integratâ altercatione calorem reſumunt, & jam ſupplicium à Campiano avertunt, jam eidem internecionem totis viribus moliuntur. Illi, viri ingenium, literas, eruditionem & famam in omnes latiſſimè diffuſam gentes, non abſq; comitatis & integritatis laude commemorant, dicúntq; invidiæ Orbis Anglicum nomen expoſitum iri, ſi, quem divinis, humaniſq; præſidijs ad immortalitatem inſtructum noviſſent, adeo præcipiti conſilio è vivis exturbarent. Iniquitatis præterea & injuſtitiæ infamiam vitari Edmundi in ſupplicio non poſſe, cùm perduellionis crimen objectum tam luculentâ defenſione everterit ipſe, ut ſuſpicionem apud æquos ac iniquos propè omnes peniſſimè eliſerit.

Iſti verò Reginæ voluntatem obtendunt, quæ cùm regni incrementis impensè ſtuderet, nollet publicâ in Catholicum nomen injuriâ ſævior videri, & communem ſalutem patriæ, ſuámq;, qua pollebat apud principes, gratiam, in odium, & ſummum diſcrimen vocari. Alij nihilominus ſemel pronunciatam ſententiam perurgere pergunt, dedecus & ignominiam metuentes Anglico Judicio, ſi à concepto rigore tantillum diſcederent. Quid enim (inquiunt) aliud eſſet, quàm propriâ confeſſione ſeveritatem in attinendo in vinculis Campiano, in eóq; exquiſitis tormentis lacerando accuſare, ſi capitis damnatum culpâ ſolvimus, atq; innocentem tacitè proclamamus. Variantibus in utramq; partem ſententijs eò tandem animi plurimorum incumbebant, quo eoſdem ſanæ Religionis odium & deteſtatio provehebat. Capitis ſententia in Campianum lata confirmatur, dieſq;, proximum Sabbathum, eidem tollendo dicitur. Cum primùm decretum, dictúſq; dies Edmundo innotuit, quandoquidem in D. Andreæ pervigilium incidiſſet, conſonas rei voces expreſſit Edmundus, O BONA CRVX &c. Attamen non ſuſtinuit æquis animis hunc triumphum Senatorum Impietas, qui, ut materiem lætitiæ porrò ſubducerent, dilato in Kalend: Decemb: ſupplicio, alacritatis & ſinceri gaudij occaſionem minimè ſuſtulerunt. Nihil tamen interea, àb obſtinata moriendi ſententia ut revocaret Campianum, callida hæreticorum verſutia omiſit, ſolitis artibus conſtantiam ejus tentando, incolumitatem pollicendo, opes, dignitateſq; affatim jactitando, ſi quidquam à religione remitteret. Sed fruſtra fuere hæc apud eum, cujus jam dudum curæ humanis rebus penitus abſolutæ in divinis erant, & deſideria Apoſtoli cupientis diſſolvi, in votis. Illuceſcentem itaq; Decembrium Kalendarum diem omni gratulationis genere ſalutavit, & quos alij in triumphum & vitæ gloriam conferre ſolent, omnes in præclaræ mortis deſiderium animi conatus intendit. Nulla videbatur ei unquã hac clarior, lætior nulla lux in oculos infuſa, qua appetente magnis gaudijs incedebat, erumpente omnium in oculos contemptæ vitæ, & exoptatæ necis ſignificatione. In digreſſu Collegas mortis & victoriæ, Scherwinum, & Briantum humaniſſimè conſalutat, illatis in colla brachijs, annexóq; dulciſſimo de parata palma ac triumpho colloquio. Non potuit non jucundiſſimè ejus animum afficere, quos in religionis propagandæ ſtudio ſocios habuiſſet, videre nunc in ſupremi honoris aditu commilitones. Hoptonus interim, pro ſua in Edmundum

Barba-

barbarie, ut ei ægerrime faceret, thoracem bubalum, quo diſſimulando Sacerdotio uſus fuerat, ſolicite inquirit, ut militari in veſtitu ſuſpenſo invidiam & majus dedecus conflaret. Fruſtratâ conquiſitione produci tandem Martyrem jubet ſua in hybernica ad ludibrium concinnata toga. Amœnitas oculorum, oriſq; hilaritas omnium animos commovit, quando collacrymantibus penè omnibus ipſe ſolus circumfuſis leniter oculis placideq; renidens, ſpectatores ſuos ſic allocutus eſt. DEUS VOS OMNES SALVOS ET CATHOLICOS VELIT. Inde in genua provolutus exclamavit: IN MANUS TUAS DOMINE COMMENDO SPIRITUM MEUM. Hinc velut ad primã gloriæ ſcenã vimineas in crates translatus, ſupremũ in honoris theatrum, per cœnoſum multiſq; obſtaculis ſaxorum impeditum iter raptatur. Nihil tamen hac in via quamvis moleſtiſſima ægritis accidit Campiano importunâ illâ Miniſtellorum ad defectionem hortantium oratione; qui crates obibant, & continuè neſcio quid pro ſalute animarum ingerebant, extrema è rabularum fæce buccinatores. Quibus faceſſere juſſis non defuerunt alij, per confertæ multitudinis anguſtias aditum tentantes, Catholici procul dubio, & ad hoc officij & pietatis genus divinitus incitati, ad cœnum è ſacratiſſimo ore extergendum, & (quod multo admirabilius eſt) ad conſcientiæ ſuæ labem detegendam, eluendámq;: quibus tamen ipſe quaſi de ſe ſecurus omniq; cura ſolutus abundè ſatisfecit. Jam ſub furca in ferali plauſtro conſtitit; jam laqueo collum, ut juſſus fuerat, inſeruit Edmundus, atq; mox velut in ſupremi honoris theatro ſe circumſpiciens ad circumfuſam coronam, miſerenti quàm miſero ſimilior, verba facere aggreſſus, ingenti ſpiritu & ſecurâ animi collectione, eloquentiam omnem in ſolatium & frugem aliorum impendit. Sed Orationem vixdum à limine progredientem magiſtratûs imperium abrupit, aliáſq; quæſtiones ſubſtituit, quibus Tyrannidi ſuæ velandæ, criminis objecti minimam populo ex omni hominũ ordine ac genere propè infinito ſuſpicionẽ moveret. Dolum deinde dolo innexuit, poſt deſperatam ab aperto Marte victoriam Impietas, & ad conſuetas de Pio V. captiones fruſtra ſe convertit. Edmundo etenim ſatis fuit palàm confiteri ſacris ſe Catholicis initiatum, hac lege vivere, ut mortem ipſam religionis causâ obeundam in votis haberet. Hinc non nemo flagitij certitudinem deducens, novo Calvinianæ Dialecticæ acumine concluſit, uno Catholicæ religionis nomine Majeſtatis crimen contineri; neq; porro verbis & cunctatione opus eſſe ad cædem

matu-

maturandam, ſiquidem palàm obnoxium comperiſſent, quemadmodum vanæ ſuperſtitioni, ita ſuſpicioni ſceleris & initæ conjurationis. Tum Miniſtri quaſi ſua de ſcena jam ſoliciti, Deo tacite ſupplicantem interpellant, monentq; ſecum ut preces communicet. Quibus denuo leniter rejectis ab ijs ſocietatem precum popoſcit, quibuſcum in religione conveniret; dictóq; Apoſtolico Symbolo publicum indicium præbuit, qua eſſet pro fide animam exhalaturus. Inde quaſi intra ſe receptus alienato à rebus humanis animo Deo totus inhæſit: quod ubi callidior Judicum aliquis animadvertit, novum conſilium inijt fraudis attexendæ; Campianum velut innocenti poſtulato hórtatus eſt, veniam à Regina uti tandem peteret, neq; ſineret ut eum Judicum concepta ira, Procerum indignatio, & circumfuſi populi maledicta ad necem uſq; comitarentur. Non diſſimulavit deprehenſam artem Edmundus; quam altiſſimâ voce extulit, palàm recipiens & affirmans nihil in eam peccâſſe ſe, atq; nullius criminis veniam petere; quin potius eidem ſalutem à Deo non ſemel exorâſſe, & etiamnum exoraturum, cùm extremum ejus imperio ſpiritum eſſet acturus: quod re ipsâ, intentâ in Cœlum ſupplicatione, præſtitit. Vti tamen mitiſſimi animi conſuetudo, & pietatis conſilium fierent illuſtriora, Havardi opportunâ interrogatione effectum eſt; cui, quam Reginam intelligeret, num quæ tunc Imperij habenas in Anglos obtineret, inſtanter roganti, ſubjecit, illam ipſam Eliſabetham, ſuam atq; Anglorum Reginam. Jamdudum in ferali exedra ſupremum Martyrij jus & purpuram, abſorptis in Devm ſenſibus præſtolabatur; cùm Magiſtratûs juſſu ſubducto plauſtro, collóq; reſte intercluſo paulisper pependit, donec præciſo fune, in curru reſupinus quatuor in partes diſſecaretur, corde è pectore evulſo, & in paratum ignem conjecto. Dilacerata membra & ferventi aquâ elixa varijs ante urbem locis ſuffixa ſunt, eo credo conſilio, ut nulla pars expers eſſet tantæ victoriæ, legeréntq; in ijs omnes invictum Campiani nomen conſpicuis his gloriæ ferculis digniſſimum. Videtur ſuæ fortunæ ſenſum aliquem edidiſſe extinctus Martyr, &, quanto exiliret gaudio, demonſtrâſſe, quando referente Domino Petro ab Hanal, qui idipſum oculis coràm uſurpaverat, evulſum ſacratiſſimo è pectore cor, atq; à carnifice humi abjectum, cubiti altitudine ter cœlum verſus exilijt, non abſq; latentis virtutis prodigio & lætitiæ vivæ vegetæq; portento. His ergo mortalitatis vinculis laqueo exolutus Campianus, Martyrij beneficio, Doctorali purpura induit ſe, palmam-

palmámq; & laurum ſuſcepit, publica virtutis ſymbola, & Catholicæ ſapientiæ argumenta. Debitus ei & decretus cœlitus fuit hic honoris apex, ad quem ingenij perſpicacitate, cultu optimatum diſciplinarum & aſſiduâ virtutis ac ſanctimoniæ procuratione, velut per gradus impigre contendit. Nos his dotibus artibúſq; notis æquè, ac ignotis gratiſſimum noſtræ literaturæ Anteſignanum, Roſtra quondam Pragenſia inſigni eloquentiæ vi & majeſtate replentem, Philoſophiæ item & Eccleſiaſtæ pulpita ibidem præclarâ nominis, eruditionis, & doctrinæ famâ illuſtrantem denuo amplectimur, atq; poſt edita præſtantis Theologiæ ſpecimina ſupremum in gloriæ ſuggeſtum evectum, & inter Anglos Societatis JESV Martyres, ſuóq; ſanguine purpuratos Patres Principem, promiſſâ animorum inclinatione veneramur, rogamúſq; ut partam Civium ſuorum vitâ non exiguam manum, morte vero forte multo majorem, divinis ſuperſtitum ſuorum commilitonum ardoribus augeat, & vivaci imitatione promptáq; ac pronâ in omne mortis genus ſucceſſione locupletet. Ei tametſi defuiſſet tenuis noſtra commendatio, ſua tamen virtus & gloria ſatis eſſet ad immortalitatem. Vitæ æque ac mortis, non amicos duntaxat, ſed & hoſtes habuit admiratores. Poſt extinctam invidiam virtuti laus integra eſt, & abſq; fuco præconium. Hinc fiebat, ut hæretici, quam vivo detraxerant, demortuo jam quaſi ex condicto redderent virtutis ac vitæ famam ad poſteros jure quodam ſuo pertinentem. Cuſtos carceris hoc nomine gloriatus eſt, quòd in eo Angelum in vinculis attinuiſſet, ſuæ curæ commiſſum. Neq; hic ſenſus conſtitit apud plebem. Eboracenſis etenim Pſeudoepiſcopus forte per eos dies Londini moratus, Edmundi cædem attonitus & ſtupenti ſimilis ſuſpexit; atq; paulo poſt, quaſi ſomno & admiratione diſcuſſis animóq; ad veritatis confeſſionem reducto, exclamavit: neſcitis, quantum bonorum hodie ad furcam rapraveritis Angli! Quod complures oratione variâ, & miſsâ in voluntarios nexus panegyri teſtati ſunt, plurimum in eo innocentiæ, nihil dedecoris aut faſtûs extitiſſe. Habuère ſanè ipſi Judices, ad redimendam famam in quo plurimum elaborarent. Ijs (uti fit) vario in congreſſu cùm præcipitem ſententiam exprobrarent alij, alij juris & æqui ratione nullâ habitâ, culpæ innocuum ſuſpendio damnatum, atq; in hoc Anglicum nomen æquiſſimis contumelijs proditum, expoſitúmq; fuiſſe dicerent, nihil in præſidium cauſæ ſuæ obvenit, quàm, quod vel Reginæ in eo voluntati ſervire oportuerit, vel ſuffragijs plurimorum. Facti ini-

qui-

quitatem publicis ſermonibus increbreſcentem publico edicto Senatus compeſcuit, ſolam ſceleri prætexens Eliſabethæ voluntatem. Miſerrimus nimirum juris ordo, & ſiniſtra recti conſtitutio eſt ijs regnis, quibus libido regulam ponit, & iniqua animi affectio moderamen. Laqueus tamen Magni Martyris gloriam non coercuit, ſed laxavit. Antonius Franciſcus Mariæ Auguſtæ à ſacris confeſſionibus, vivum & mortuum, inter cœlites recenſebat. Henricus Ortonus ingentem Viri æſtimationem Prâgam ſecum advexit, eandémq; in pavimento cubiculi ejus pio oſculo depinxit, non abſq; tenerrimo pietatis ſenſu, quæ pro religione in carcere eluceſcens nunquam pulcriùs exarſit, quàm cùm ipſe ſqualore ac ſenio confectus ibidem extingueretur. Neq; minùs Alano Cardinali de Edmundo fuit glorioſa opinio; neq; minor Archiducum Auſtriæ Leopoldi & Caroli veneratio. Ille laudabili invidiâ non ſex, ſed complures Pragenſis manſionis annos virtutum precio in unum contractos fuiſſe memorabat; hi in muſæolum ejuſdem Pragenſe introducti, in genua ultrò procumbentes familiarem Auſtriaco ſanguini pietatem cum Majeſtate ſemper aſſociatam inclinaverunt Edmundo, quanto viſitationis affectu, tantâ animi demiſſione. Nos aliud non addimus, quàm obſequioſam tanto Nomini impoſterum celebrando voluntatem: cui interim Eloquentiæ annuæ in orbem denuo reductæ circulum coſecramus, ut, à quo felicitatis jam olim auſpicium cœpit, ab eodem velut gemma & capite ſuo exornata concludatur.

Franciſcus Carolus Berka S. R. I. Comes Hovvora de Duba & Lippa.
Ioannes Maximilianus L. B. de Tallmberg.
Ioannes Iacobus Devvaggkhy L. B. de Adlerſperg.

Ale-